Kalkmann, August
De Hippolytis Euripideis
quaestiones novae

PA
3973
H72K3

DE
HIPPOLYTIS EVRIPIDEIS
QVAESTIONES NOVAE

SCRIPSIT

AVGVSTVS KALKMANN

BONNAE
APVD E. STRAVSS
MDCCCLXXXII

Hettnero suo
auctor.

DE

HIPPOLYTIS EVRIPIDEIS

QVAESTIONES NOVAE

SCRIPSIT

AVGVSTVS KALKMANN

BONNAE
APVD E. STRAVSS
MDCCCLXXXII

PA
3973
H72K3

LIBRARY
JUN 9 1972
UNIVERSITY OF TORONTO

FRANCISCO BVECHELER
RENARDO KEKVLÉ
HERMANNO VSENER
S.

Novas has quaestiones inscribo, non tantum quia materiam ab aliis tractatam retractavi, sed quia insolita ratione ab Hippolytis Euripideis ad serioris aetatis litteras ascendens in vasto maxime Alexandrinae poesis campo geminarum fabularum vestigia persequi conatus sum. Nam qui Hippolyti fabulam examinarit, quomodo a poetis et ab artificibus tractata sit, quod olim in libello praemio ornato praestiti, eum non fugiet, quantopere utraque Euripidis fabula etiam extra fines Atticos et audientium et legentium animos commoverit. — Neque vero incommode mihi videor antea nonnullas de servata Hippolyti fabula quaestiones, quae praecipue ad personarum mores spectant, proponere, cum illae, si quae unquam, non certi singulique homines sint, qui semel vixerint, sed potius ad certum quoddam hominum genus pertineant[1]. An non intellegis, quantopere haec res imitationem adiuvare debuerit? Inde autem ad tragoediae deperditae imaginem redintegrandam progressi iam paratiores et quasi sponte ad alteram illam dissertationis partem traducemur.

I.

Euripidem etiam sine diserto testimonio, quod facetus ille comicus Atheniensis ipsi invidioso aemulo subicit (Arist. Ran. 959), sciremus ad domesticam et communem vitam (*οἰκεῖα πράγματα*) animum maxime rettulisse. Quo factum est, ut, cum ab ipsa vita colores ad heroum scaenam illustrandam sumeret, in eorum moribus describendis saeculi sui naturam indolemque saepius exprimeret. Licet igitur poeta in Hippo-

---

[1] Hoc Lessingius (Hamb. Dramat. N. 95) ita: 'Mehr die personificirte Idee eines Charakters als eine charakterisirte Person'. Cf. Brunn Künstlergesch. II p. 87 ff.

lyto eximiae virtutis imaginem ab antiqua fabula praeformatam adumbraverit, tamen ornamenta, quae libere interponit, plane ad saeculi sensum apparata sunt. Nam in eo, qui esu carnium abstineat et librorum 'fumis' incubet, qualem Theseus filium describit (v. 952 sq.), Welcker[1] dudum verum Orpheotelesten cognovit, non iudicio usus suo sed poetae ipsius auctoritatem (v. 953) secutus; qui etiam ad mysteria celebranda Hippolytum Athenas profectum esse fingit (v. 25). Atque eandem sectam prae se ferre videtur, cum acerbissimis ac paene ridiculis maledictis Hippolytus totum feminarum genus figit (v. 616 sq.)[2]. An putas poetam, quanquam mulieribus non favebat, inter has mordacis calami fictiones non risisse, cum eius sana mens ex aliis dictis satis aperte perluceat[3]. Nescio autem, an ille eodem consilio heroem suum intoleranter se iactantem et gloriantem introduxerit, neminem intra patriae fines exstare, qui tanta virtute praeditus sit quanta ipse (v. 993 sq. 1100); quam iactationem paene circulatoriam Theseus antea de Orphico filii victu disserens aperte denotaverat v. 952: *ἤδη νῦν αὔχει* et v. 950:

οὐκ ἂν πιθοίμην τοῖσι σοῖς κόμποις ἐγώ.

Atque e re est hoc loco versus conclamatissimos multisque agitatos controversiis 73 sq., quos Hippolytus pronuntiat in Dianae statua redimienda, examinare. Certe agitur de prato Dianae, pastoribus non colendo, sed quod Hippolytus affirmat v. 79 sq., iis tantum licitum esse flores decerpere, quibus natura virtus et temperantia insita sit, si ad veritatem et recon-

---

[1] Kl. Schrift. II p. 474. Tragoed. p. 749. cf. Lobeck Aglaoph. p. 246. Noli tamen neglegere haec Thesei filium obiurgantis et obiurgia exaggerantis esse. Neque ille in mysteria invehitur, sed tumidos Orphei sectatores carpit; quod moneo contra Wheelerum nullo iure hos versus in suspicionem vocantem (de Alcest. et Hippol. Eurip. interpol. p. 59 sq.). Hippolytum autem praeter 'Dianam reginam' Orphea regem habere, non video, cur negemus.

[2] Orpheum cecinisse tradunt (cf. Clem. Alex. Strom. VI, 739)

Ὡς οὐ κύντερον ἦν καὶ ῥίγιον ἄλλο γυναικός.

[3] Conferas ex. gr. frg. 658:

ὅστις δὲ πάσας συντιθεὶς ψέγει λόγῳ
γυναῖκας ἑξῆς, σκαιός ἐστι κοὐ σοφός κτλ.

et frg. 164: *ἄριστον ἀνδρὶ κτῆμα συμπαθὴς γυνή.*

ditum cultus quendam usum revocare studueris, ut Welcker (Kl. Schrift. II p. 472) elegantius quam rectius mihi fecisse videtur, interpretationem multis difficultatibus obstructam invenies. Itaque malunt vulgo v. 79—81 pro subditiciis removere [1]. Sed optimus quisque poeta hanc sibi vindicavit libertatem, ut extra veritatis fines quodammodo egressus aliunde ornamentorum lumina depromeret, quibus audaci translatione hanc vitam exornaret. Itaque contendo Euripidi campos Elysios obversatos esse, in quibus cum beatis flores decerpere et corollas nectere licebat [2], tum iis, qui mysteriis initiati essent [3], ut testatur Aristophanis scholiasta ad Ran. v. 344: *λειμὼν γὰρ ἀνάκειται καὶ ἄνθη ἀνειμένα τοῖς μύσταις ἐν τῷ πεδίῳ. δηλοῖ δὲ καὶ Σοφοκλῆς* (frg. 805). Fortasse in Triptolemo haec dixit, cui Welcker (Trag. p. 308) tribuit etiam praeclarum fragmentum inc. 753:

ὡς τρὶς ὄλβιοι
κεῖνοι βροτῶν, οἳ ταῦτα δερχθέντες τέλη
μόλωσ' ἐς Ἅιδου· τοῖσδε γὰρ μόνοις ἐκεῖ
ζῆν ἔστι, τοῖς δ' ἄλλοισι πάντ' ἐκεῖ κακά.

Etiam Ionis Sophocleae exstat fragmentum (297): *ἐν Διὸς κήποις*

---

[1] Cf. Dindorf adn. ad Eur. II p. 276. Barthold Rh. Mus. XXXI p. 313 et edit. Wheeler l. l. p. 49. — Nauck Eur. Stud. II p. 6 delet unum versum 80 medelam praecedentis versus in dubio relinquens; nam alteram versus partem interpolatori deberi opinatus in altera pro *δίδακτόν* scribi vult *ἄναγνον*. — Nolo autem totam quaestionem hoc loco retractare, cum Gloël (de interpol. Hippolyt. fab. Eur. p. 15 sq.) omnibus argumentis pensitatis iure hos versus tuitus sit. Ille quidem Porsono *ὅσοις* v. 79 in *ὅστις* mutanti adstipulatus omnes offensiunculas haud quaquam removit. Equidem aliam medendi viam ingredior. Nam versui 81 simillimus legitur Bacch. 316, qui cum Kirchhoffio delendus est; irrepsit ex nostro loco (cf. Gloël l. l.). Illic autem pro *εἴληχεν* legitur *ἔνεστιν*, quod cum aliis genuinum esse censeo. Amplius nil mutandum, sed rectius interpungendum, cum asyndeton v. 79 offendat. Ita igitur hunc versum cum antecedente coniungo, quasi *τούτοις* interciderit; qua ratione tota allegorica translatio perfecta demum redditur. Deinde perapte interpungitur post *ὁμῶς* v. 80.

[2] Cf. Pind. Ol. II, 74 (135). frg. 106. 107 B. Tibull. I, 3. 66. v. 61: 'fert casiam non culta seges'. Plato Axioch. 371 c: *παντοῖοι δὲ λειμῶνες ἄνθεσι ποικίλοις ἐαριζόμενοι.* Cf. Propert. V, 7. 59 sq.

[3] Cf. Pind. frg. 114 B. Plato l. l. Lobeck l. l. p. 69 sq.

ἀρoῦσθαι μόνον εὐδαίμονας ὄλβους. Hippolyto igitur in prato illo Dianae tanquam aeternae tranquillitatis pacisque imagine ambulanti beatorum sedes obversari, ecquid insulsum?

Poeta autem sententiola illa de virtute natura insita, Pindari[1] auctoritate sancita, non tam initiatorum quam generatim proborum iuvenum summam virtutem illustrat; quandoquidem translatio distinctius loqui vetat. Ad quod artificium *Αἰδοῦς*[2] allegoriam, quam Euripidem pangere non potuisse vellem certis argumentis probares, transitum aptissime parare in aprico est. Itaque nescio, an apis commemorationi v. 77 altior sensus insit, quem tamen equidem non audeo elicere. Nam scholiastae interpretanti: *μέλισσα: ψυχή* fidem non habebis[3].

Sed hunc locum alia coniectura ad Phaedrae mores pertinente exornare conveniat. Magicae scilicet artes cum in Hippolyto Coronifero tanguntur (cf. v. 509), tum in Velato locum invenerant; nam Phaedram hic devinctionibus et incantamentis operam navasse, ut amatum iuvenem alliceret, ea similitudine veri conicitur, quam in his rebus consequi licet[4]. Scimus autem ineunte fere bello Peloponnesiaco feminam quandam Ninum sacerdotem Sabazii Athenis turbas dedisse philtris miscendis, ob quod delictum postea in ius vocata est[5]. Videtur

---

[1] Ol. II, 86 (155), IX, 100 (152). Nem. III, 40 (70). Minime vero necesse esse eum, qui dicitur nequaquam institutione — ita enim interpretandum (cf. Gloël l. l.) — sed natura virtutem insitam habere, libris omnino se abstinere, non attinet amplius exponere contra Wheelerum l. l. p. 49, qui putabat hos versus cum v. 952 sq. discrepare; quo loco ne ipse quidem Hippolytus loquitur. — Poeta autem carpere videtur sophistas (cf. Welcker l. l. p. 474).

[2] Athenis aram habuit auctore Pausania I, 17. 1.

[3] *μέλισσαι* et nymphae sunt (cf. Schol. Pind. Pyth. IV, 104. Porphyr. de antro nymph. 18). Cum toto loco Euripideo ad extremum conferas Ibyc. frg. 1 B.:

Ἦρι μὲν αἵ τε Κυδώνιαι
μηλίδες ἀρδόμεναι ῥοᾶν
ἐκ ποταμῶν, ἵνα παρθένων
κῆπος ἀκήρατος.

[4] Cf. Schol. Theocrit. II, 10. Welcker l. l. p. 737.

[5] Cf. Demosth. de fals. leg. § 281 Schol. Schaefer Demosth. I p. 198 sq. Schoemann opusc. III p. 430. Gr. Alterth. II p. 376. 349.

igitur eo praecipue tempore fortasse huius sacerdotis et Sabazii mysteriorum auctoritate Athenis mos philtrorum miscendorum ne dicam ortus esse, sed effloruisse et invaluisse; quibus rebus Euripidem commotum esse, ut Phaedram in priore fabula cupiditatis lasciviam minime comprimentem fascinationibus indulgentem fecerit, prona suspicio est. In qua acquiescerem, nisi ab una quidem parte levi dubitationi obnoxia esset. Ut brevis sim, fieri potuit, ut Sophoclis auctoritas in hac re non sine momento esset; ille enim in Trachiniis v. 584 sq. primus omnium, quantum video, philtra alia illa quidem exhibet[1], quibus Deianira Herculem delenire studet. Iure autem ad Trachinias provocari potest, siquidem in Hippolyto Coronifero certe non desunt, quibus Euripides se spectatorem et aemulatorem Sophocleae fabulae praestet. Quod paullo accuratius exponere opus est.

In fine igitur utriusque fabulae heros vulneratus in scaenam adducitur lamentatione ac plangore eam complens[2]. Adhortatur comites, ne incaute ac temere lacerato corpore prehendendo dolorem excitent (E. 1358 cf. v. 1361, S. 1007 sq. 1025). Interea flebiles questus de acri doloris morsu edunt (E. 1371. S. 987. 1010) neque omittunt iniquam fortunam criminari, quod omnium sibi virtutum propugnatoribus tam luctificam cladem inferat (E. 1364 sq. 1383, S. 1089 sq.). — Utrumque in acerbo dolorum cruciatu mortem votis exoptare (E. 1372 sq. 1387 sq., S. 1005 sq. 1040 sq. 1085 sq.), hoc quidem nolo premere; contra premendum censeo usum eiusdem verbi *εὐνάζειν* (E. 1376, S. 1005. 1006. 1042) neque non eiusdem imaginis de dolore s a l i e n t e (E. 1351 sq., S. 1027 sq.), qualibus minutiis non raro aemulator proditur. — Gravius id, quod et Hercules et Hippolytus mortem comitum manibus sibi inferendam exoptant (E. 1374 sq. S. 1010 sq. 1031 sq.); de qua re cum Hercules vere grandiloquus ampullas et sesquipedalia

[1] Pindarus Pyth. IV, 213 (380) sq. philtra non commemorat. Novit incantationes et rhombum seu iyngem; apud Homerum et alios huius rei commemoratio omnino deest (cf. Hirschfeld: de incant. et devinct. amator. apud Graec. Romanosq. p. 6).

[2] Perleve id discrimen, quod Hercules portatur, Hippolytus initio quidem (cf. v. 1342. 1354) comitibus innisus ducitur.

verba proiciat v. 1010 sq., non te fugiet, quantopere Euripides haec in brevius contraxerit. Idem aeque in totam hanc scaenam Eripideam cadere vel obiter comparationem instituenti liquebit; ut meo mihi iure interim contendere videar Euripidem Sophoclem et non hunc illum ante oculos habuisse[1]. — Sed praesagio, qua ratione intellegentes mihi occursuri sint: nimirum Philocteten quoque in ipsa scaena flebiliter lamentari et a Neoptolemi gladio mortem expetere (Soph. Philoct. 747, cf. 1204 sq.); Ulixem autem in Sophoclis Niptris vulneratum in scaenam deportatum comites admonere, ut 'pedetemptim et sedato nisu, ne succussu adripiat maior dolor' se adducant (Cicero Tusc. II, 21. Welcker l. l. p. 244). — Graviora igitur argumenta exhibeo. Gravissimum enim et quo poeta quasi invitus indicet se fabulam Sophocleam in deliciis habuisse, id est, quod chorus primum vim Amoris laudibus extollens in Ioles exemplum incidit v. 545 sq., atque id primum eorum, quae illustrandi causa adfert, quod maxime urgeo. Adde, quod de fabulae forma minime constanti agitur, sed diversa ratione a scriptoribus tractata. Atque ipse Sophocles tale quid indicare videtur nuntium introducens, qui Licham praeconem mendacii coarguit v. 351 sq., quod contenderit, Herculem adversus Oechaliam exercitum duxisse, ut se vindicaret ab Euryto; ita, ut Lichas postea v. 471 sq. nuntii narrationem Herculem Ioles amore flagrantem Oechaliam oppugnasse unice veram esse concedere cogatur. Pherecydes enim de Hercule ad Eurytum veniente ita: *καὶ ᾔτει τὴν θυγατέρα* (Iolen) *Ὕλλῳ γυναῖκα*[2]; quocirca haud scio an Creophylus, qui Iolem quidem novit, de Herculis amore non cecinerit. — A Sophocle igitur, qui hoc

---

[1] Scaena Euripidea Aristophani fortasse bilem movit, ut in Acharnensibus vulneratum Lamachum in scaenam adportatum misere lamentantem fingeret. Initio enim v. 1191 sq. causam cladis simili modo exponit, quo Hippolytus v. 1347 sq. Similiter comites admonet v. 1215 atque hic v. 1359. 1361, quae Dicaeopolis subinde in ridiculum detorquet v. 1216. Neque, quem Hippolytus invocat Paeana v. 1373, Lamachus implorare omittit v. 1212.

[2] Schol. Soph. Trach. 354. Contra Herodorus iam de Herculis et Ioles matrimonio narravit. Schol. Eur. Hip. 545. Cf. Schol. Hom. φ. 22. E. Schwartz: de schol. Hom. ad hist. fab. pertinent. Fleckeis. Suppl. XII p. 446 sq.

ipso fatali amore nodum tragicum nectit, Euripides stat, ad cuius cantici singula illustranda Trachiniae haud pauca suppeditant. Nam quod Deianira de Iole dicit v. 536:

κόρην γάρ, οἶμαι δ' οὐκέτ', ἀλλ' ἐζευγμένην,
παρεισδέδεγμαι κτλ.

id explicatius chorus Euripideus v. 545 sq.:

τὰν μὲν Οἰχαλίᾳ
πῶλον ἄζυγα, λέκτρων
ἄνανδρον τὸ πρὶν καὶ ἄνυμφον, οἴκων
ζεύξασ' ἀπ' εἰρεσίᾳ κτλ.

et qui dubitant, quomodo *εἰρεσίᾳ* accipiendum sit, eos delego ad Herculis *πολύκωπον ὄχημα ναός* (v. 656)[1]. Denique dignus, qui adponatur, locus Sophocleus hic est v. 856 sq.:

Ἰὼ κελαινὰ λόγχα προμάχου δορός,
ἃ τότε θοὰν νύμφαν
ἄγαγες ἀπ' αἰπεινᾶς | τάνδ' Οἰχαλίας αἰχμᾷ.
ἁ δ' ἀμφίπολος Κύπρις ἄναυδος φανερὰ
τῶνδ' ἐφάνη πράκτωρ.

Nam quod Sophocles funesta hasta semel atque iterum belli cladem subindicat, in hoc noster non cedit v. 551, apud quem Venus item ministra est v. 553. — Quibus omnibus cum satis firmum fundamentum iactum sit ad probandam meam opinionem, Euripidi Coroniferum scribenti Sophoclis memoriam recentem fuisse, plura in medium proferam documenta, quae per se fortasse leviora, mutuo se lumine illustrabunt. Neque enim quenquam etiamnum casui tributurum esse spero, quod chorus uterque in parodo post breve prooemium cantat, se de luctuosis dominae affectionibus rumores accepisse (S. 103 sq., E. 129 sq.); quod chorus Sophocleus, ubi de morte voluntaria Deianirae certior factus est, ventos aurasque expetit, quae a tristi luctificae cladis spectaculo aliorsum se auferant v. 953 sq., chorus autem Euripideus simili loco, postquam Phaedra ad mortem sibi parandam decessit, avem se fieri concupiscat neque ille alio animo, quam ut ab instante malorum theatro in remotissima quaeque

---

[1] Nolo longius insistere eorum nugis refutandis, qui *εἰρεσίαν* intellegant de aeria navigatione, testem excitantes Niciam nescio quem Malleotem a Plutarcho Parall. 13 laudatum.

avolet evageturque v. 732 sq.[1]. Id quidem quod Deianira ad mortem proficiscens aras in futurum debita religione destitutas comploratu adit v. 904 sq., Hippolytus autem queritur se mortuo ἀγαλμάτων φύλακα v. 1399 defuturum esse (cf. v. 1138 sq.) — talia si quis casui tribuenda esse pertinaciter asserit, ego sane praefracte refragari nequeo. At manifesto deprehenditur Euripides Sophoclis vestigiis insistens in ea scaena exornanda, ubi nutrix Phaedrae foedum amorem fassae moriendique consilium effatae persuadere conatur v. 439 sq.: nihil insoliti, quod amet, illi accidisse; Amori omnes homines deosque cedere oportere; quoque acrius impugnetur, eo acerbius deum urere. Noli hunc locum communem esse obicere, priusquam similia, non dico in simili Trachiniarum scaena, sed in simili rerum concursu, quod rursus maxime premo, occurrere cognoveris. Nam cum Lichas Ioles amorem, quo Hercules flagrabat, dissimulasset, Deianira nuntio interim audito ea ratione praeconi angorem eripere eumque ad liberam confessionem adducere conatur, ut in universum disputet, nihil vetitum committere, qui amori morem gerat v. 441 sq.:

Ἔρωτι μέν νυν ὅστις ἀντανίσταται
πύκτης ὅπως ἐς χεῖρας, οὐ καλῶς φρονεῖ·
οὗτος γὰρ ἄρχει καὶ θεῶν ὅπως θέλει κτλ.

Euripides ita v. 443 sq.:

Κύπρις γὰρ οὐ φορητός, ἢν πολλὴ ῥυῇ·
ἣ τὸν μὲν εἴκονθ' ἡσυχῇ μετέρχεται,
ὃν δ' ἂν περισσὸν καὶ φρονοῦνθ' εὕρῃ μέγα,
τοῦτον λαβοῦσα, πῶς δοκεῖς; καθύβρισεν.

Pro concesso habeo, Euripidi haec scribenti obversatam esse illam imaginem de Amore pugile, quam parum feliciter in Venerem, mollem deam, quae correptum adversarium duriter tractet, transtulit. — Neque commemoratio deorum, quos Sophocles testes excitat (v. 443 cf. v. 498 sq.), apud alterum deest (v. 453 sq., cf. v. 555 sq.). Id quidem, quod hic amor νόσος ab utroque nuncupatur, non magni pendo (S. 445, E. 40. 269. 279.

---

[1] Huius similitudinis pondus non eo imminuitur, quod personae tragicae non admodum raro talia exoptant. Cf. Soph. Ai. 1192 sq. Oenom. frg. 432. Eur. Andr. 862. Ion. 796. Sed chorus semel tantum apud Euripidem Hel. 1478 sq.

283 e. s.), quia Sophocles eadem vocula in Phaedra utitur (frg. 615)[1].

Iam ut, unde aberravimus, ad philtra redeamus, id quidem certa ratione demonstrari nequit, Trachinias etiam ante Velatum Hippolytum scriptas esse. Nam adagium illud Sophocleum de amoris praestantia in memoriam revocans, nihil inde concludam, quod Euripides in priore fabula Amorem vocat πάντων δυσμαχώτατον θεόν (frg. 433), qui non solum viros mulieresque lacessat, sed animos etiam deorum turbet (frg. 434)[2]. Neque maioris ponderis est, quod in fragmento trag. adesp. 107 multa cum probabilitate Velato Hippolyto vindicato[3] et Soph. Trach. 300 similia adiectiva simili modo ad eandem rem illustrandam iuxta ponuntur. Talia potius missa faciamus, ne certa incertis turbentur[4].

Sed ne de Phaedrae moribus, quales poeta in Coronifero depinxerit, iudicium nostrum mancum sit — superstruitur enim

---

[1] Sciens praetermitto Herculem post acceptum nuntium de voluntaria uxoris morte deque philtri origine lamentationes tollere v. 1143 sq. iis similes, in quas nutrix pro sua natura omnia exaggerans — quod contra Wheelerum l. l. p. 53 monitum volo — effunditur, ubi primum Phaedra foedum amorem confessa est v. 353 sq.

[2] Poeta addit: κἀπὶ πόντον ἔρχεται, quod pluribus illustrat chorus Hip. 1272 sq. Minime quidem certum id documentum, Sophocli hos versus cum Valckenario (ad Eur. Hip. 447) contra Stobaei (Flor. 63, 25) auctoritatem, quam Welcker (l. l. p. 397) secutus est, abiudicandos et Euripidi cum Clemente Alexandrino (Strom. VI, p. 745) tres primos versus sub eius nomine afferente tribuendos esse. Nam Sophoclem quoque alatum ludibundum Amorem novisse Amoris invocatio in Antigona docet v. 785: φοιτᾷς δ' ὑπερπόντιος κτλ. Attamen Nauckium, cui ipsa huius fragmenti oratio Euripidem prodere videtur, rectissime iudicasse inde concludo, quod Menander, Euripidis aemulator, aperte duos extremos versus ante oculos habuit in Herois frg. 1 (M. IV, 128).

[3] Valckenaer (ad Eur. Hip. 1029) hoc suspicatus est, cuius coniecturam miror a viris doctis neglectam esse. Nam versus eisdem verbis incipiens legitur Hip. 1029 (cf. v. 1048 sq.); interpolatus ille quidem, ut videtur (cf. Wheeler l. l. p. 60). Praebuit autem saepius, ut videbimus, Velatus ansam ad interpolandum.

[4] Postquam haec scripsi, incidi in Hensii Studia Sophoclea p. 287, qui item versibus Hip. 545 sq. utitur ad demonstrandum Trachinias ante Hippolytum compositas esse. Sed nisi omnibus locis argumentisque accurate examinatis res expediri nequit.

tota haec commentatio servatae fabulae quasi solido fundamento, ad quod semper respiciat — necesse est tangam subdifficilem eius scaenae interpretationem, in qua Phaedra et nutrix inter se altercantur, antequam haec Hippolytum adit. Viam, qua progrediendum est, Wilamowitz ingeniose munivit (Anal. Eur. p. 209 sq.): Parum satisfacere volgarem interpretationem: insontem esse Phaedram, convenire ei cum nutrice, ut medicamento amorem pectore suo expellat, decipi a nutrice, perire; immo περιπέτειαν quandam in Phaedrae moribus appropinquare poetam satis aperte indicare, qui praeterea divinam illam scaenam, qua Phaedra amore saucia nomen eius, quem deperit, fatetur, in Hippolyti fabulam non admisisset, nisi ut proponeret, quomodo mulier contra amoris violentiam parum fortis pedetemptim et quasi per gradus ad atrox facinus delaberetur. — Hactenus, qui non stat a viri egregii partibus, eius iudicium in summo poetae tragici artificio interpretando occaecatum est. Attamen ille in singulis ulterius progressus metam non attigit. Audacem praeterea medelam versuum sede hic illic mutanda adhibuit per se parum veri similem, cum huius scaenae turbatio ante legem Lycurgeam ex ipsius sententia orta histrionibus obtrudenda esset, qui aut nunquam aut rarissime versuum ordinem mutare solebant, ut Wheeler (l. l. p. 55) observavit. Nego deinde hanc medendi rationem necessariam esse; quocirca in singula huius fabulae partis quasi lineamenta inquirere opus est. — Nutrix erae cogitationes a morte ad vitam revocare et honestatem ad scelus declinare studet v. 433 sq.; rationibus nempe fucatis, quae vilioribus naturis semper praesto sunt, urget dominam. Nam si quis amori indulgeat, quid in eo vituperandum esse? Frustra pugnari contra Amoris omnipotentis vim, cui dei ipsi cedant. Quibus rationibus cum Phaedrae virtus non debilitetur — perseverat enim in impudicis consiliis reiciendis v. 486 sq. — iam sentit nutrix opus esse distinctius loqui. Parata est igitur recta via ad iuvenem contendere eique Phaedrae amorem patefacere v. 490 sq. Domina ira effervescit v. 498 sq., nutrix denuo instat v. 500 sq., tum vero Phaedra 'ab irae caloribus ad flebiles preces delabitur, concedit bona esse nutricis consilia sed turpia. Tamen si illa tam bene defendere pergat turpia, facere se non posse quin eis, quae nunc fugiat, se perimi patiatur'. Sic cum Wilamowitzio

(l. l. p. 213) hi versus interpretandi. — Hoc loco paullisper pedem figentes circumspectemus. Phaedrae virtutem labare, quis est, quin perspiciat? Attamen minis suis nihil intermiscuit, quo audacis consilii a nutrice prolati approbationem proderet. Nutrix igitur, si iustam victoriam reportare vult, oppugnationem aperta ratione institutam dimittere et nova eaque simulationum involucris tecta subsidia circumspicere debet. Simulate assentabitur et missa faciet, quae suasit, altero consilio novaque condicione eram religione impeditam levare studens. Caute igitur ita praefatur v. 507:

εἴ τοι δοκεῖ σοι, χρὴ μὲν οὔ σ' ἁμαρτάνειν[1].

Quo versu qui *χρῆν* tuentur, huius diverbii rationibus nullo modo satisfaciunt, nam novis consiliis tale prooemium parum caute praemitteretur; stolide insuper nutrix delicti mentionem hoc loco iniceret, ubi aliquid perpetrandum suadet *οὔτ' ἐπ' αἰσχροῖς οὔτ' ἐπὶ βλάβῃ φρενῶν* v. 511; contrarium exspectaremus. Repugnaret denique illa aperte prioribus adhortationibus, si hoc loco ita loqueretur, tanquam Phaedra sponte libidini manus dedisset.

Sequitur cuiusdam remedii simulatio, quae quam artificiose a poeta instituta sit, velim inprimis observes, ne te occultus totius scaenae sensus fugiat. Nutrix enim haec omnia ita in ambiguum implicat[2], ut intellegi possint et magicae illecebrae, quibus Hippolytus ad concipiendum in novercam amorem possit fascinari et remedia ad Phaedrae amorem morbumque depellendum. Nam philtra non solum ad incendendum amorem, verum etiam ad solvendum a sagis componi putabantur; de qua re statim[3]. Additur autem vocula *θελκτήρια* v. 509 satis

---

[1] Ita hic versus iam in Bartholdi editione legitur, qui argumenta cumulavit Rh. Mus. XXXI p. 334 a Wheelero (l. l. p. 58) neglecta. Ceteroqui ipsius coniecturae non suffragabitur, qui argumenta supra allata probarit. — Sequente versu Usener *εἰ δ' οὖν* mutandum esse putat in *ἢ δ' οὖν*: 'sed quidquid tibi placebit, sive resistes consilio meo sive obsequeris'. Wilamowitz (l. l. p. 218) scribit *εἶεν*. Wheeler l. l. p. 57) coniecit *ἀλλ' οὖν*.

[2] Vers. 513—15 a viris doctis dudum in iustam suspicionem vocatos et postea a me gravioribus etiam argumentis damnandos interim missos facio.

[3] Quam late pateat philtrorum significatio, discimus ex Laevii

ambigue. Apud Sophoclem (Trach. 355) ἔρως θέλγει i. e. fascinando excitat Herculem, ut Oechaliam oppugnet (cf. Eur. Hip. 1274); θέλγητρον explicat Photius τὸ εἰς ἡδονὴν ἄγον, quo verbo Athenaeus (V. 220 f.) sic utitur, ut addat genetivum obiectivum πόθων. Apollonius Rhodius denique fingit Minervam querentem, quod Veneris artium inscia sit Arg. III, 33: οὐ δέ τινα χρειὼ θελκτήριον οἶδα πόθοιο. Sed ad contrarium eumque sedandi huius verbi sensum idem poeta aptum exemplum praebet Arg. III, 738: θελκτήρια φάρμακα ταύρων i. e. remedia furorem taurorum mitigantia, λυτήρια ut scholiasta explicat (cf. v. 766). Neque aliud λόγοι θελκτήριοι (Eur. Hip. 478), ut statim demonstrabo, et μῦθοι θελκτήριοι (Aesch. Eum. 81) significant; sed idem, quod ἐπῳδαὶ θελκτήριοι (Plut. Amat. 16). Neque Mercurii caducei obliviscar, qui ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει. — Sed reliqua audi; provocabunt enim ad verba v. 511 sq.: ἅ σ' οὔτ' ἐπ' αἰσχροῖς — παύσει νόσον τῆσδ' κτλ., qui contendant praevalere significationem remedii ad morbum sanandum. Cave, ne in hac una interpretatione acquiescas, cum demonstrari possit, Graece cogitanti alium praeterea sensum sponte obici, talem fere: cupiditate explenda furorem sedari et hoc modo morbum sanari. Theocriti enim Simaetha Thestylidi mandat Id. II, 95: εἰ δ' ἄγε Θέστυλί μοι χαλεπᾶς νόσω εὗρέ τι μῆχος. Cuiusnam generis est illud medicamen? Delphis arcessitur. Similia saepius inveniuntur[1]. — Sed ut nostro loco amplius etiam ambigamus, nutrix addit: ἢν σὺ μὴ γένῃ κακή: modo ne timida sis; quod, quid sibi velit, iis certe obscurum erit, qui totum locum de simplici remedio intellegant. Accommodatior interpretatio fit fascinationes subaudienti; nam aliquid audendum videtur et, ni fallor, satis circumspecte poeta nutricis fallaciis haec

---

poetae fragmento 3 p. 49 Weich. Expellendi et fugandi notionem saepius subesse concludo ex Pind. Ol. XIII, 68 (95): φίλτρον ἵππειον i. e. frenum, quod equum deleniat et furorem mitiget. Ecquid de genuina delenimenti significatione superest, quod amorem excitet? — Atque eodem sensu accipio φίλτρ' ἐπῳδῶν Eur. Phoen. 1260, quibus nimirum fratrum ira sedetur fugeturque. Scholiasta contorte philtra ἀντὶ τοῦ φιλίας interpretans intellegit ἐπῳδὰς φιλίας.

[1] Cf. Anth. Pal. V. 291. Xenoph. Ephes. III. 12. Parth. erot. 17: Periandri mater filium amat: καὶ κατέχειν τὴν νόσον οὐκ ἔτι οἵα τε ἦν, ἕως ἀποτολμήσασα προςφέρει λόγους τῷ παιδί.

verba interposuit, quibus alluderet ad id, quod illa re vera molitur. — Videamus igitur, num diverbii progressus his tenebris lucem affundat. Phaedra enim demonstrat se nutricis consilium approbare interrogando v. 516: *πότερα δὲ χριστὸν ἢ ποτὸν τὸ φάρμακον;* Scio sexcentiens *φάρμακα* idem valere, quod incantamenta devinctiones veneficia. Sed nostro loco affirmo voculis *χριστόν* et *ποτόν* satis manifesto significata esse remedia ad morbum depellendum, quippe quae divisa esse sciamus, prout bibenda vel infricanda vel denique edenda essent [1]. Sed etiam graviora praesto sunt, quae in aperto ponant veteres lectores Phaedrae verba minime ad pocula amatoria, quibus Hippolytus alliciendus esset, sed ad remedia furorem levantia rettulisse. Nam, si quid video, tragicus nostro loco, ut alias saepissime, eroticis ornamentum gratum acceptumque suggessit; cum illi bene occultum sensum assecuti hunc locum leniter sic inflectant: Long. Past. II, 7. 7: *Ἔρωτος οὐδὲν φάρμακον οὐ πινόμενον οὐκ ἐσθιόμενον οὐκ ἐν ᾠδαῖς λαλούμενον ὅτι μὴ φίλημα καὶ περιβολὴ κτλ.* Quo Theocritus quoque tendit, qui a genuino sensu declinans Musas supponit [2] Id. XI, 1:

Οὐδὲν πὸτ τὸν ἔρωτα πεφύκει φάρμακον ἄλλο,
Νικία, οὔτ' ἔγχριστον, ἐμὶν δοκεῖ, οὔτ' ἐπίπαστον,
ἢ ταὶ Πιερίδες.

Amatus autem unicum remedium est ut Delphis Simaethae apud Theocritum l. l. (cf. Anth. Pal. V, 116. Chariton. Aphrod. VI, 3. 7. Nicet. Eug. II, 243); atque hunc in tragoedia quoque nutrix semper subaudit, quem videlicet aditura sit (cf. v. 698 sq.), ut statim exponam. Amorem igitur, quem anus carminibus solvere se posse profitebantur [3], neque arte magica neque medicina

---

[1] Cf. Aesch. Prometh. 478 sq. Pind. Pyth. III, 52 (92) sq. Schol. Arist. Plut. 717: *Τῶν φαρμάκων τὰ μὲν καταπλαστά, τὰ δὲ χριστά, τὰ δὲ ποτά.*

[2] Cf. Callimach. Epigr. XLVII Schn. Praeivit Philoxenus cf. Schol. Theocrit. XI, 1. Plutarch. Symp. Quaest. I, 5 frg. 7 B. Quotiens dithyrambici poetae Alexandrinis facem praetulerint, miror neminem adhuc demonstrare conatum esse. — Ceterum Musam aut incantamenta amatorium furorem sedare negat etiam Plutarchus (Amator. 16). Seneca ita potius (ep. 9): 'ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficae carmine: si vis amari, ama'.

[3] Cf. Theocrit. Id. II, 91. Tibull. I, 2. 59 sq. Verg. Aen. IV, 487.

sanatum iri affirmant, neque denique ullum id genus remedium exstare: Theocrit. Id. XIV, 52. Heliod. Aeth. IV, 7. Chariton. Aphrod. VI, 3. 7. Tibull. II, 3. 13 sq. Ovid. Her. V, 149 sq. Met. I, 523 sq. — Plura autem in Morrhei descriptione desiderio Chalcomedae flagrantis (Nonn. Dionys. XXXIV, 1 sq.) Phaedrae memoriam afferunt. Nam Morrheus, quem poeta de animi inconstantia ac flexibili voluntate secum querentem proponit v. 8 sq. (cf. Eur. Hip. v. 183), furore excitatus et circumvagans interpellatus a servo et desideria fassus hunc implorat v. 72:

"Υσακε, μὴ κρύψῃς, τίνα φάρμακα ποικίλα πάσσων
ἔνδον ἐμῆς κραδίης ἰήσομαι ἕλκος Ἐρώτων.

Poeta epicus remedia ut merum ornamentum amantis descriptioni intexuit, ad quae, cum irrita sint, postea non recurrat; non aliter tragicus. — Atque his locis examinatis non immature videor remedia furorem sedantia primus agnoscere apud Propertium II, 1. 51 sq.:

Seu mihi sunt tangenda novercae pocula Phaedrae,
pocula privigno non nocitura suo,
seu mihi Circaeo pereundum est gramine, sive
Colchis Colchiacis[1] urat aena focis,
una meos quoniam praedata est femina sensus,
ex hac ducentur funera nostra domo.
Omnis humanos sanat medicina dolores:
solus amor morbi non amat artificem.

Sequuntur exempla mirabilium sanationum. Totus autem locus egregie respondet inprimis Longi exemplo, cum medelae, quae frustra amoris morbo adhibentur, dividantur in veneficia et medicinae remedia. A sententia: 'laus in amore mori' (v. 47) proficiscens poeta tanquam vaticinatur se hanc laudem consecuturum esse; fore enim nunquam, ut sibi amor eripiatur. Haec una sententia in extremo carmine fuse illustratur, cui non satisfaciunt, qui intellegunt philtra amorem inicientia; immo haec interpretatio, quanquam primam commendationis speciem prae se fert, insereret sensum plane novum alienumque a nostro carmine. Praeterea, si quid sapio, hic est Propertii mos, ut cogitationem, cum qua semel aliquam quasi familiaritatem

---

[1] Ita libri; Scaliger: Iolciacis. — Codicum scripturam tueor propter Ovid. Rem. Amor. 261 sq.; quo iure statim videbis.

contraxerit, non extemplo abiciat. Itaque, cum in primo libro nihil id genus deprehendatur, poeta iterum canit II, 3. 8: amorem nunquam tolli, atque in sequente carmine multus est de eadem re II, 4. 7:

non hic herba valet, non hic nocturna Cytaeis,
non Perimedeae gramina cocta manus.

Veneficiis autem primo commemoratis prorsus eodem modo, quo nostro loco, in sequentibus exposite de medicis agitur, qui amantem frustra a funere revocare studeant. Denique in praeclaro illo carmine IV, 24 H., Goethio si quod unquam digno, poeta canit v. 9 sq.: amoris ignem torrentem neque patrios amicos sibi potuisse avertere neque Thessalam sagam eluere; non ferro non igne cogi se potuisse, ut Cynthiae laudes revocaret'[1]. Invito igitur animo et cogentibus amicis (cf. I, 1. 25 sq.) poeta saucii pectoris auxilium circumspexisse cogitandus est; atque hoc sensu gerundia eo loco, a quo aberravi, accipienda sunt. Quae potius eorum interpretationi obstant, qui tantum venena periculosa mortiferaque perverse intellegant[2]), ut taceam de eo, quod Phaedrae pocula a mero veneno mortifero toto caelo distant. Immo hic sensus: licet usque ad necem omnia temptem, quibus amoris flammas exstinguam, exitium, quod sempiternus hic amor paraturus est, non evitabo. Cui videlicet poeta alteram sententiam, ut solet, assimilat: se unius amore periturum; fidem enim saepe promittit (cf. III, 13. 36; 20. 17 sq.; 24. 33 sq.; 25. 9 sq. IV, 15. 46 H). Prospere denique accidit, quod Ovidius fuse narrat Medeam et Circen devinctionibus et veneficiis frustra operam dedisse ad amoris furorem reprimendum (Rem. Amor. 261 sq. 287 sq.), ut iam ab hac quoque parte mea interpretatio tuta sit. At unus restat ad interpretandum versus 52: 'pocula

---

[1] Medium carmen eo versuum ordine, quo nunc legitur, aptum sensum non praebet, quocunque modo v. 9 sq. interpretaris et quamcunque versus 12 curationem temptas. Movendum esse a suo loco non tantum distichon v. 13—14, verum etiam monente me Buechelero praecedens et inserenda illa post v. 8 persuasum habeo. Tum demum unum quodque verbum habet, quo apte referatur, et descriptio naufragi amoris artificiose progreditur; v. 11 sq. scribe cum Hauptio: 'et ipsa Naufragus Aegaea vera fatebar aqua' hoc sensu: atque adeo naufragus Cynthiae laudes veras esse asseverabam.

[2] Cf. Tibull. II, 4. 55 sq. Prop. I, 5. 6; III, 24. 27 sq. H.

privigno non nocitura suo', quem iam dudum, qui huc usque me secuti sunt, mihi obicientes audio. Adscita ipsa nostra, de qua quaestio est, Coroniferi scaena difficultas aliquatenus certe expeditur. Nam Phaedra ea tantum intellegit pocula, quibus privigno non nocere, sed sibi mederi velit; contra nutrix nocere vult. Sed pocula ipsa in tragoedia praetenduntur tantum, non miscentur; itaque nescio, an in Alexandrino aliquo carmine, ad quod identidem postea recurram, hoc contrarium etiam amplius ita exornatum fuerit, ut nutrix re vera Phaedrae pocula misceret ad furorem sedandum, quod simularet; cum potius privignum iis delenire studeret[1]. In Hippolytum Velatum hoc non quadrare mox videbis.

Sed ut post hanc digressionem ad Euripidem redeamus: Phaedrae, cum de tali medicamine nutricem interpellet, ex nulla parte eius ambiguo sermone suspicio orta esse videtur. Arripit id, quo sibi suo iure salutem allatum iri sperat, reliqua omnino non curans. Itaque unum patet refugium, atque id unice verum, ut sumamus Phaedram fingere istam simplicitatem et intellegere nolle, quo nutricis ambigua quidem, sed somniantibus tantum obscura consilia tendant. Servat speciem pudicitiae, attamen ab omni culpa liberari nequit, cum omnino ad nutricis simulationes descendat; quod ut palam fiat — noli hoc neglegere — poeta fingit Phaedram tam levicula et inutilia interrogantem. Aptum praeterea sibi parat hoc modo transitum ad ea, quae sequuntur; quibus dilucidius etiam vetita spes, qua mulier amans

---

[1] Huc convicia tendunt, quibus Propertius lenam proscindit V, 5. 5: 'docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem'. Remedium in utramque partem valens Dido significat (Verg. Aen. IV, 478 sq.) cum sorore communicans se sagae ope viam invenisse, quae sibi reddat Aeneam vel eo se solvat amantem. Exemplum, ubi poculum amatorium ab ipsa muliere, quae allicere vult, bibitur, exstat apud Lucianum Dial. meretr. 4. Alexandrinis autem Phaedrae sacra magica bene innotuisse Diltheyii coniectura (Rh. Mus. XXV p. 157) in pictura Pompeiana (Helb. No. 1433) Phaedram, cui nutrix ex adverso stet, noscendam esse in femina sedente laqueum gerente, instrumenta magica in statuncula et amphora illic depicta, ultro probasset, si certa esset. Errasse virum doctum, cum alteram picturam in Palatino erutam eidem materiae vindicaret (l. l.), novissima picturae editio Mon. dell' Inst XI, 23 vincit.

furtim nititur, aperitur. Nam cur illa anum ambigue semper respondentem et ad extremum per Venerem iurantem non retinet[1]? Nutrix autem, quae philtra praetexens de uno Hippolyto adeundo cogitabat (cf. Gloël. 1. 1. p. 31), insigni astutia consilia tam ambigue instituit, ut semper excusatio praesto esset; itaque Phaedrae acriter se postea obiurganti respondet v. 698 sq.: *τῆς νόσου δέ σοι | ζητοῦσα φάρμαχ' εὗρον οὐχ ἁβουλόμην*[2]. Contra Phaedra suo iure nutrici conviciatur, quippe quae omnem societatem cum sceleris ministra respuerit vel omnino eius praestigias se non intellexisse simularit. Nam in tota hac quaestione tenendum est Phaedrae mores in priore fabula poetam in invidiam adduxisse, ut, cur retractatam Phaedram ubicunque in sermonibus decorum servantem finxerit, melius perspiciamus. Venus eam *εὐκλεῶς* morituram esse praedicit (v. 47 cf. v. 1300. 1304 sq.), chorus autem Phaedram ut optimam earum, quas unquam solis lux collustrarit, mulierem laudibus extollit v. 849 sq. Quae omnia, num stare possint, si Phaedra illicitis philtris parandis acclamasset et se malarum artium participem aperte prodidisset, ut Wilamowitz vult, vehementer dubito; quandoquidem non de simplici devinctione agitur, sed de tali, qua monstruosae libidinis desiderium explendum ac satiandum fuerit[3].

---

[1] Extremum hoc egregie observavit Wilamowitz l. l. p. 214, sed non primus. Eadem eleganter posuit Patin Etudes sur les tragiq. Grecs II p. 317.

[2] Eodem spectant chori verba v. 597:

φίλως, καλῶς δ' οὐ τήνδ' ἰωμένη νόσον.

[3] Ne in concesso quidem amore illis temporibus philtra ab omni vituperatione libera fuisse videntur; in quo nil mirum, siquidem a veneficiis non semper aliena fuerunt. Itaque Deianira anxia sollicitatione de consiliis suis cruciatur Soph. Trach. 596 sq. Opponit quidem v. 582 sq. philtra malis artibus (*κακαῖς τόλμαις*); sed dubia etiamnum haerere videtur, cum chorum interrogando adeat, probandumne sit tale remedium. Qua in re tenendum quidem eam fatalem Nessi memoriam insuper angere potuisse. — Accurata autem totius quaestionis examinatio in libris de antiquitatibus Graecis desideratur. Wachsmuth quidem (Hell. Alterth. II, 1. 262; 2. 210) contendit incantamenta, quaecunque erant, *ἀσεβείας* fraudem admisisse. Vellem hanc rem explicate probasset; testimonia contraria cumulavit L. Georgii Pauly

Quibus omnibus pensitatis versus 513—15 interpolatos esse viris doctis[1] sine mora concedes. Tollitur enim funditus hoc additamento nutricis prorsus necessaria ambiguitas hunc in modum — atque id maximi momenti est —, ut iam Phaedrae simplex interrogatio v. 516 omnino locum habere non possit, quoniam palam significantur ea, quae ad potulenta miscenda opus sint, ut Lucianus (Dial. mer. 4) docet. Neque id contendes boni poetae esse nutricem fingere tam longe immorantem in illustrandis rebus ad devinctionem necessariis, nemini non notis, quam ne adductura quidem est ad exitum. Suppeditabat autem legentibus ad illustrandum interpolandumque fons Euripideus alter Hippolytus, quam praeterea poetam simili scaena exornasse docui. Sed 'unus et alter adsuitur pannus'. Nimirum interpolator etiam altero loco grassatus ex alia alterius fabulae scaena versus 477—81 Coronifero intexuit. Quos a nostro loco alienos esse locuples auctor Wilamowitz (l. l. p. 212 sq.) est, cuius gravissima argumenta nolo retractare[2]. Erravit quidem vir doctus mirifice fascinationes ad devinciendum Hippolytum his versibus

---

Real-Encycl. s. v. Magia. — Mulieres lunam detrahentes oculis liberisque privabant; cf. Plato. Gorg. 513 A. Zenob. Prov. IV, 1. — Ceterum noli ad seriora tempora et pervulgatum fascinationum usum apud poetas Romanos provocare. Quanquam etiam illa aetate philtrorum usus vituperationi obnoxius fuisse videtur, ut Ovidius planissime indicat Art. Am. II, 105 sq.:

> Nec data profuerint pallentia philtra puellis;
> philtra nocent animis, vimque furoris habent.
> Sit procul omne nefas.

Cf. Pauli sent. V, 23. 14: 'Qui abortionis aut amatorium poculum dant, etsi id dolo non faciant, tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum honestiores in insulam amissa parte honorum relegantur: quod si ex hoc mulier aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur'.

[1] Nauck Eur. Stud. II, 20 sq. Kirchhoff. ed. II. Wheeler l. l. p. 57. Barthold, Weil. edition. Unus Gloël l. l. p. 30 sq. hos versus tuitus est; cuius refutatio — nam nonnulla recte interpretatus est, in summo erravit — legentibus meam disputationem praesto erit.

[2] Infelix horum versuum patronus rursus Gloël l. l. p. 53 sq. exstitit eo effugio usus, ut sumeret nutricem remedia ad corporis morbum amovendum proponere. Non intellexit igitur istam aegritudinem nihil aliud esse quam ipsum amorem.

significatas esse existumans; cum voce ἐπῳδή potius incantationes magicae ad amoliendum morbum aptae significentur, ut Gloël (l. l. p. 55) vidit, delegans ad Pind. Pyth. III, 51. (91). Soph. Ai. 582. Quibus locis adicere licet Eur. Phoen. 1260: *φίλτρ' ἐπῳδῶν*, et Plutarch. Amat. 16: *τὴν δὲ ἐρωτικὴν μανίαν, — οὐ Μοῦσά τις, οὐκ ἐπῳδὴ θελκτήριος καθίστησιν.* Iam si Euripidea verba satis dilucida *νόσον καταστρέφου* et *φανήσεταί τι τῆσδε φάρμακον νόσου* in rationem vocaris, dubium esse nequit, quin poeta de morbo depellendo, non de amore ad finem perducendo cogitarit. Quo fundamento labefacto corruere totum, quod vir doctus falsae huic interpretationi transponendis versibus superstruxit artificium, in aprico est; ut taceam de versibus 513—15 eius iudicio Phaedrae tribuendis, de qua coniectura actum est. — Denique in medium proferens coniecturam mihi olim probatam: eiectis versibus 509—15 istos quinque versus 477—81 hoc loco inserendos esse antevertere volui aliis huic transmutationi forsan veritatis speciem non abiudicantibus. Me, si eam adhuc probarem, in peculiaria mea argumenta saeviturum esse, non est, cur amplius demonstrem. Frigidum esset nutricem infacete mentientem et ne levissimo quidem nutu fallacias prodentem inducere. Accedit, quod Phaedra nutricem de remedio quodam futuro suspensa verba facientem non ita interpellare potest, quasi certum aliquod remedium iam ad manus sit. — Itaque persto in sententia mea adscriptos esse hos versus ex priore fabula, a lectore videlicet, qui nutrici ad amorem adhortanti opponeret diversos nutricis amorem compescere conantis mores in altera Hippolyto, ut non male coniecit Barthold (Rh. Mus. XXXI p. 328 sq.). — Iam, ne epilogus, qui meam totius scaenae interpretationem commendet, desideretur, rogo, num haec exquisita quodammodo ratio, qua Euripides, artificium excogitans quasi subauscultando a natura acceptum, animi muliebris affectibus vario modo depingendis subtile tegmen quaerat, eius ingenio minus digna sit, quam si pingui, ut aiunt, Minerva heroinam manifesto et aperte ad libidinem raptam et praecipitem latam finxisset? Ne quis igitur respondeat non potuisse summam totius tragoediae a poeta ambigue expositam esse. Cui in cavea oculorum acies non obtusa erat, ei certe non in ambiguo relinquebatur, quid poeta vellet; praesertim cum ad futurum eventum illustrandum

Veneris invocatio sequeretur et chorus vim Amoris laudibus efferret [1].

Hippolyti Velati temporum invidia nobis ereptae imaginem cum olim ex Senecae Phaedra, Ovidii quarta epistula, sarcophagis, fragmentorum denique servatorum laceris frustulis, testimoniis his mutua concordia se confirmantibus invicemque se tuentibus redintegrare conatus essem, via a Wilamowitzio (l. l. p. 154 cf. p. 209) breviter indicata, Leo [2] interim circumspectius toti huic quaestioni firma fundamenta substruxit, ut eam ex incunabulis denuo repetere supersedeam, ne acta agere videar. Usus enim iis, quae indicavi, subsidiis nonnulla capita conclusit de fabulae oeconomia, id rectissime firmo argumento nisus affirmans p. 176: verisimile esse, si Seneca congruat cum Ovidio in iis, quae ad Phaedrae mores aliter quam in Hippolyto Coronato formatos spectent, non tam Ovidii epistulam a Seneca expressam esse, quam utrumque ad communem fontem accessisse. Ovidium quidem praeter Velatum Coronifero usum esse, quod per se admodum probabile est, Birt (Rh. Mus. XXXII p. 403 sq.) probabilius reddidit demonstrando poetam Romanum nonnullos servatae fabulae locos ad verbum expressisse [3]; quanquam non

[1] Qui versus 494. 95 et 500 in suspicionem vocant, caveant, ne praeiudicata opinione poetae verba metiantur. Nam nutricem Phaedrae constantia magnopere iratam incidere in contumeliosam loquacitatem et irato tumore priorem rationem, qua in prima honesti commendatione foedum amorem posuit, abdicantem iam concedere turpe esse, quod suadeat, sed utilius quam honestum, quid in eo mirum aut naturae repugnans? Verum est lenam v. 495 spurcum quodammodo colorem verbis inducere, sed nostri potius sensus est in talibus offendi. Gloël igitur (l. l. p. 33 sq. 52 sq.) hos versus ab interpretum temptationibus prohibens adstipulantem me nactus est.

[2] L. Annaei Senecae tragoediae I p. 173 sq.

[3] Nimium quidem Birt tribuit huic, quae intercedit inter epistulam heroidem et Coroniferum similitudo, cum iusto artificiosius ansam ex hac extricet ad comparanda Graeci poetae verba cum descriptione Ovidianae puellae. Contendit enim p. 405 poetam, qui Phaedram scribentem fingat: 'ubi nunc fastus altaque verba iacent' (Ov. 150), legisse versus Euripidis 406 sq., quoniam in ipsa epistula neque fastum deprehendamus neque alta verba. Immo ut in Ovidii verbis merum ornamentum eroticum agnoscamus, suadet constans fabulatorum rei amatoriae usus, qui furorem paene exitiosum inde

prorsus necesse est ad unum quidque singillatim referre, quod ex paucorum fragmentorum comparatione universe emergit: Euripidem, cum totam fabulam retractaret, non tantum emendaret ac perpoliret, etiam in similibus his scaenis, cum quibus fragmenta comparationem admittunt, alia alteram editionem forma induisse. Componas modo frg. 442 aperte ex Thesei cum filio altercatione sumptum cum versibus Coroniferi 925 sq. et

---

amant repetere, 'quod fastidiosius antea ipse spreverit adulescens virgove amantes atque Cupidinis Venerisque potestatem eluserit', ut Dilthey de Call. Cyd. p. 43 animadvertit. Itaque Propertius primum Cynthiae laudes canens ita I, 1. 3: 'tum mihi constantis deiecit lumina fastus' (cf. I, 7. 25 sq.) et Racinii Phaedra insolenti fastu quocunque modo potest in privignum saevit. antequam amorem fateatur. Heine: 'Sie sahen sich an so feindlich; und wollten vor Liebe vergehn'. Goethe (Gretchen): 'Und segnet mich und that so gross, und bin nun selbst der Sünde bloss'. Sed plus etiam abest, ut versus Ovidiani 7 sq.:

ter tecum conata loqui, ter inutilis haesit
lingua, ter in primo destitit ore sonus

me commonefaciant trium graduum distinctionis, quibus tragica Phaedra v. 392 sq. conata sit coercere amorem, ne detegatur; cum alia Ovidii exempla probent propter numerum ternarium nihil reconditi anquiri debere. Cf. Met. XI, 419: 'ter conata loqui, ter fletibus ora rigavit'. Nimirum hoc numero impare poeta gaudet (cf. Amor. III, 6. 69. Her. XIV, 45. Met. II, 270. X, 452. XIV, 387) praeeuntibus Alexandrinis (cf. Apoll. Rhod. Arg. III, 654. Callimach. hymn. i. Cer. 13. 15. frg. 189 Schn). Altius hoc repeti potest; Pindarus enim paucorum verborum argumentationem significans canit: *τρία ἔπεα διαρκέσει* (Nem. VII, 48. 70). Aristophanis Pheidippides baronem se fuisse indicat: *οὐδ' ἂν τρί' εἰπεῖν ῥήμαθ' οἷός τ' ἦν πρὶν ἐξαμαρτεῖν* (Nub. 1402); unde Latinum proverbium ortum: tria verba non potest iungere (Sen. Ep. 40. 9. Cf. Apocol. 11. 3. Martial. VI, 54. 2). Euripides: *τρεῖς εἰσὶν ἀρεταί* (frg. 219, cf. frg. 287). Schiller: 'Drei Worte nenn' ich euch inhaltsschwer'. Eodem pertinent tres Propertii libelli, quos in pompa Persephonae dona afferri vult (III, 13. 25 H.). De vocibus *τρίςμακαρ* et similibus cf. Suet. ed. Reiffersch. frg. 175 p. 455. Notum autem est numerum ternarium *τέλειον* fuisse (cf. Schol. Theocr. II, 43. V, 18. 30. Jahn Arch. Beiträge p. 125). — Denique vix est, quod moneam Ovidianam puellam in scelera utique pronam esse, qui mores Phaedrae in servata fabula non sunt; nihil illa de futura morte vaticinatur, ut reliquae heroinae (cf. Dilthey. l. l. p. 117). Quod priori Phaedrae prorsus accommodatum est, quippe quae ad satiandam libidinem unice promptissima de morte nondum cogitet, abhorret ab altera moderatiore mortem semper in ore habente.

frg. 449, quod chorum ostendit heroem fortunatum praedicantem propter divinos honores, quos Diana ei augurata sit, cum v. 1423 sq.; in quibus honores quidem abunde commemorantur, sed chori praedicationis nec vola nec vestigium apparet. Fragmento 445 autem manifesto e nuntii narratione excerpto minime accurate rospondet v. 1183; novum denique discrepantiae exemplum Leo (l. l. p. 180 sq. cf. p. 182) attulit frg. 389 falso adhuc Euripidis Theseo adiudicatum ultimae Velati scaenae, qua Hippolytus moribundus comparuit, vindicans. Senecam autem videbimus in iis scaenis illustrandis, quarum argumentum poeta certe non mutavit, nunquam posterioris editionis verba, haud raro sensus exprimere, ut in Romana tragoedia examinanda merito Coroniferi fidem testeris; quanquam simpliciter negari nequit Senecae servatam Euripidis fabulam ad manus fuisse. — Ad summam sufficit haec in memoriam revocasse, in singulis nonnulla monitu digna habeo.

Scaenam in Velato non ut in Coronifero Troezene, sed Athenis fuisse indicare videtur cum Senecae tragoedia tum Ovidius, qui duobus certe locis (Met. XV, 506. Fast. VI, 739) Hippolytum profugo curru Troezena petentem fingit. Neque in epistula, quam Phaedra Troezene immorans scribere videtur (cf. v. 107, Birt l. l. p. 403), indicia deesse alio loco videbimus, quae ad Athenas nos reiciant. Illic autem Diana *ἐν Ἄγραις* maxima religione colebatur, ut notum est; contra in Coronifero Diana *Λιμναία*, dea pluribus praecipue Peloponnesi locis culta[1], commemoratur (cf. v. 228; 1131). De illa Philochorus locutus erat (Schol. Eur. Hip. 73: *ὁ δὲ Φιλόχορος τὴν ἐν Ἄγραις Ἄρτεμιν — στέφεσθαί φησι κτλ.*), quod testimonium scholiastae (l. l.) inepte referunt ad Coroniferum. Quid si historicus ex altera fabula nonnulla attulerat ad venerationem Dianae *ἐν Ἄγραις* pertinentia? Quanquam non multum lucramur hac coniectura; nam vix tibi continget ex tanta commentorum farragine expiscari, quid Philochori, quid scholiastarum sit. — Titulus autem *στεφανηφόρος* spondet coronae dedicationem non item in Velato locum habuisse; praeterea mirum esset, sarcophagos nunquam tam simplici sacrificatione usos esse.

---

[1] Cf. Paus. II, 7. 6. III, 23. 10. IV, 4. 2; 31. 3. VII, 20. 7. VIII, 53. 11.

Conspicimus potius Hippolytum ante Dianae simulacrum libantem [1], ut fere pronus sim in eam sententiam Philemonem frg. 63 (M. IV, 21):

Ἄρτεμι, φίλη δέσποινα, τοῦτόν σοι φέρω,
ὦ πότνι', ἀμφιφῶντα καὶ σπονδὴν ἅμα

non tam retractatae fabulae v. 73 sq., quam similem prioris scaenam ante oculos habuisse.

Hymnum, quem comites adhortante Hippolyto in honorem Dianae canunt, tam egregium artificium est ad adornandum atque instituendum odium, quod Venus in heroem Dianae amatum concepit, ut gravarer eius laude Velato derogata. Accedit, quod Seneca hanc scaenam in suum usum convertit, exornans quidem illam qua solet licentia, ut tumide doctrinam in describendis Atticis regionibus ostentaret et Romanorum acri venandi studio satisfaceret. Seniori servo vel paedagogo in Velato quoque partes datas esse, licet poeta Romanus eas neglexerit, sarcophagi indicio sunt, utpote in quibus Hippolyto saepius vir senex ac barbatus prope adstans compareat. — Sed priori Phaedrae non opus erat amorem celare; nam documento sunt Aristophanis Byzantii testimonium in argumento Coroniferi et frg. 433. 436 ultro eam amorem professam omnia pudoris repagula perfregisse. Ex qua re deinceps cogitur aliam prioris fabulae oeconomiam fuisse, quod Valckenaer (Praef. XX) primus observavit. Nam poeta, cum Phaedrae alias partes daret, nutricis quoque partes commutare debuit, ita quidem, ut anum dominae libidines initio potius restringere studentem fingeret (cf Welcker l. l. p. 736). Seneca igitur Velatum imitatus est hac ipsa ratione nutricem cum Phaedra sermones conferentem inducens, cuius colloquii singula Ovidio conlato recensentem gravissima indicia, quibus imitatio Graeci exemplaris proditur, non te fugient; de quibus adeas Leonem (l. l. p. 174 sq.), qui explicatius haec tractat [2]. Neglegenter quidem poetam Ro-

---

[1] In sarcophago Romano (Mon. dell' Inst. VIII, 38. 2a cf. Benndorf u. Schoene Lateran. Mus. p. 269 sq.) et Florentino (Gall. di Fir. IV, 91. 92 cf. Duetschke Antik. Bildw. Ober-Ital. III p. 32 sq.).

[2] Non ab re est hoc loco notare Phaedram Coroniferi queri v. 379 sq.: *τὰ χρήστ' ἐπιστάμεσθα καὶ γιγνώσκομεν, οὐκ ἐκπονοῦμεν δέ κτλ.* contra Senecae Phaedram ultro profiteri v. 177 sp.: 'quae memoras scio Vera esse, nutrix, sed furor cogit sequi Peiora'. Intellegisne,

manum compilasse vel inde elucet, quod nutrix eram de amore in universum obscure locutam nomine eius, quem depereat, nondum indicato monet v. 130 sq., ut nefanda casto pectore exturbet. Hoc citra morem Graeci poetae, qui fere ad nauseam usque in his rebus accuratus est. Atque parum circumspecte Seneca versum 227: 'experta saevam est barbara Antiope manum' nutrici tribuit, cum Ovidius v. 119 fidem faciat id ad contumelias pertinere, quibus Phaedra in maritum invehitur [1].

Phaedram marcescentem desiderio rebus inauditis inconstanter effrenateque optandis debacchantem in priore quoque fabula descriptam esse non est cur negemus. Valckenarii coniectura (ad Hip. v. 230) si certa esset, hanc rem extra dubitationis aleam poneret. Philocleon enim (Arist. Vesp. 750) concitate proicit haec:

μή μοι τούτων μηδὲν ὑπισχνοῦ,
κείνων ἔραμαι, κεῖθι γενοίμαν,

scholiasta adnotat: *κείνων ἔραμαι: ἐξ Ἱππολύτου Εὐριπίδου.* In correcta editione haec non leguntur; sed similia v. 230, et verbo *ἔραμαι* utitur Phaedra v. 219; quamobrem Valck. coniecit ex Velato hunc versum petitum esse. Quae sententia multum probabilitatis habet, quanquam ipse laudat similem Alcestidis versum 866, ubi *κείνων ἔραμαι* legitur; accedit, quod hoc scholion in cod. Rav. deest [2]. — Sarcophagi autem Phae-

---

quam arte semper duae editiones cohaeserint? Persimile autem Senecae verbis est Eur. frg. 837.

[1] Cf. Ov. 110 sq. Sen. 91 sq. Plutarch. d. aud. poet. 8 ext.

[2] Versus Coroniferi 219 sq.: *πρὸς θεῶν, ἔραμαι κυσὶ θωΰξαι κτλ.* inridet Aristophanes in Anagyro (frg. 51 Kock): *πρὸς θεῶν ἔραμαι τέττιγα φαγεῖν κτλ.* — Sed qui Euripidi exprobret Phaedras (cf. Thesmoph. 547: *Μελανίππας ποιῶν Φαίδρας τε*) ei consentaneum est Velatum quoque bilem movisse; immo non dubito, quin priorem editionem, cui *τὸ ἀπρεπὲς καὶ κατηγορίας ἄξιον* etiam Alexandrini crimini vertebant (cf. Arg. Eur. Hip.), poeta comicus maxime ad deridendum sibi proposuerit, cum in tam parca fragmentorum segete certa irrisionis vestigia exstent. Unum atque id ne levissimae quidem dubitationi obnoxium Leo l. l. p. 180 sq. in Arist. Vesp. 314 investigavit, ut modo exposui. Alterum agnosco in Polyidi frg. 453 K.:

ἰδοὺ δίδωμι τήνδ' ἐγὼ γυναῖκά σοι
Φαίδραν· ἐπὶ πῦρ δὲ πῦρ ἔοιχ' ἥξειν ἄγων.

ad quod scribendum poetam Velati frg. 432 instigavit.

dram ostendunt in sella languide sedentem, ab ancillis circumdatam, et Seneca copiose depingit Amoris aculeis sauciam et morbo tabescentem, cuius cum Euripidea retractata Phaedra similitudines congessit Leo (l. l. p. 178). Sed cum poeta Romanus permulta, quae a Graeco tragico aliena sint, immiscuerit, iudicium sistam, donec aliunde his rebus lux affulserit. Diremit autem Phaedrae aegrotantis descriptionem pingui manu in duas partes v. 85 sq. et v. 358—405; illic bene posuit, hic male et Euripide certe non invitante, ut Leo iam observavit. Novum mihi hoc adventiciae artis indicium est. Seneca statim adnectit Lunae invocationem v. 406 sq., quam in Velato locum habuisse supra notavi (cf. Schol. Theocrit. II. 10), atque hic philtra proferri potuerunt. Quam quidem scaenam latam fuisse haud opiner; quandoquidem optimus quisque poeta huius generis ornamenta ad mores depingendos tantum pertinentia, quae actionem potius retardant quam accelerant, non larga manu spargere solet. Welcker autem erravit primae post prologum scaenae Phaedram insomnem surgentem, nocte evagantem, sacra magica instituentem assignans (l. l. p. 737). Talia brevi antea, quam ipse castus iuvenis compellandus esset, collocata esse, quod per se verisimillimum est, Seneca ultro probat hoc loco Lunae invocationem exhibens. Adde, quod demonstratum est, poetam actionis scaenarumque decursum in correcta editione non admodum mutasse.

Argumenti autem natura fert, ut sequens Velati scaena nutricem aliquo modo Hippolytum adeuntem ostenderit; quod repraesentationes lapide effictae non minus evincunt. Nam ut capita argumentationis hoc loco paucis comprehendam: sarcophagorum sculptores Euripidis vestigia legisse, cuius auctoritas in imagine Phaedrae ab ancillis circumdatae sine dubio apparet, tam notum est, ut amplioris probationis non indigeat. Iam, cum in nonnullis repraesentationibus nutrix Hippolyto epistulam reddat, qui sensus ex his elici potest nisi hic: Phaedram amore aegrotantem nutricem ad privignum misisse? Quid quod in nonnullis monumentis Phaedra et Hippolytus tam presse collocati sunt, ut inter se loqui videantur intercedente nutrice? Quae omnia aperte pugnant cum Coroniferi argumento. Desinamus igitur in sarcophagis interpretandis nos huc illuc torquere, cum difficultas expediatur argumentum prioris Hippolyti ad partes

vocantibus [1]. Leo quidem eo progressus est (p. 178), ut ex sarcophagis concluderet in priore fabula Hippolyto per nutricem a Phaedra litteras missas esse, quibus colloquio inter novercam et privignum proluderetur; praepropere, ut demonstrabo. Nam haud abnues, ubi ad summam totius tragoediae, amoris confessionem, ventum est, parum apte decurri ad epistulam; sermo et actio dramatis nervi sunt. Aliter res se habet in carminibus elegiacis, in quibus a poetis Alexandrinis epistulam adhibitam esse spero me postea probabili coniectura demonstraturum esse. Accedit, quod litterae nequaquam in omnibus sarcophagis inveniuntur [2]. Sed, quod rem continet, fac nutricem litteris afferendis incesto sequenti colloquio prolusisse; iam quonam vultu modoque tibi finges Hippolytum accepturum fuisse Phaedram? Num, ut Senecae Hippolytus, hilaro vultu honorifice ut matrem an tristi potius contumeliose ut scortum? Aut Phaedram amorem iam fassam, quaenam suspicaberis blandi alloquii lenocinia excogitaturam fuisse, quibus privigni virtutem expugnaret? Minime eadem, quae apud Senecam; nam, ne plura, poeta, qui litteras insereret, totam scaenam prorsus alia ratione atque ille conformare debuit, quam ut excogitem non satis poeta sum. Leo autem ipse confitetur poetam Romanum in hac scaena exornanda ad non vulgarem escendere pulchritudinem verumque affectuum vigorem. Aestheticam denique nostram ratiocinationem non magni pendentem delego te ad Racinii politum limatumque iudicium, utpote qui non solum singula in eodem colloquio illustrando ex tragoedia Romana in suam Phaedram transtulerit, verum etiam capita illinc nonnulla mutuatus sit, optimus ille tanquam sponsor tragici huius scaenae Graecoque exemplari vere digni ponderis. — Quibus prolatis haud quaquam veri simile est praecedentem scaenam v. 431 sq., quae nutricem casto iuveni persuadentem ostendit, ut annorum memor mentem relaxans tristem iuventam solvat neve viduo toro iaceat, totam ex Senecae officina prodisse, ut

---

[1] O. Jahn Arch. Beitr. p. 322 frustra laborat in difficultatibus removendis.

[2] Num sculptores suo Marte diptycha affinxerint, cuius licentiae similia exempla facili negotio proponi possint, non huius loci est expendere.

Leo existumavit. Idoneus auctor rursus Ovidius est Euripidem talia non neglexisse; nam Phaedra scribit v. 87:

Quid iuvat incinctae studia exercere Dianae
et Veneri numeros eripuisse suos? [1].

Nutrici igitur in hunc modum argumentanti iure adscribemus frg. 431:

οἱ γὰρ Κύπριν φεύγοντες ἀνθρώπων ἄγαν
νοσοῦσ' ὁμοίως τοῖς ἄγαν θηρωμένοις.

Deinde non praepropere coniectare videor Aristophanis *Ἄδικον* voluptatum blandimenta vividis coloribus depingentem hasce nutricis artes cavillando respicere Nub. v. 1071 sq.:

σκέψαι γάρ, ὦ μειράκιον, ἐν τῷ σωφρονεῖν ἅπαντα
ἅνεστιν, ἡδονῶν θ' ὅσων μέλλεις ἀποστερεῖσθαι,
παίδων, γυναικῶν, κοττάβων, ὄψων, πότων, καχασμῶν.

Subaudisne lenam pudicitiae insidiatorem caelibem iuvenem in gaudia vini Venerisque illicere conantem (Sen. v. 444 sq.)? Nam haud fortuito stuprator ille incidit in *τὸ σωφρονεῖν*, Hippolyti propriam virtutem. Consimiliter autem atque ille procedit ad naturae necessitatem (*τὰς τῆς φύσεως ἀνάγκας* v. 1075) nutrix pergit Sen. v. 451 sq.: 'propria descripsit deus Officia et aevum per suos duxit gradus' e. q. s.[2]. *Ἄδικος* denique moechantem ad Iovem provocare iubet v. 1080, quem Phaedra laudat apud Senecam v. 187, nutrix apud Euripidem v. 453. Perorat ille v. 1082: *καίτοι σὺ θνητὸς ὢν θεοῦ πῶς μεῖζον ἂν δύναιο;* ut nutrix Eur. Hip. 474 sq.: *οὐ γὰρ ἄλλο πλὴν ὕβρις — τάδ' ἐστί, κρείσσω δαιμόνων εἶναι θέλειν.* Ornamenta quidem huius loci, quae ad vulgarem popularemque Romanorum sensum accommodata sunt, ut agrestis vitae ac venationis gaudia fuse descripta et aureae aetatis felicissimam condicionem tumida quadam loquendi profluentia exornatam, Senecae officinae non gravate largior, praesertim cum ad versicolorem illius aetatis descriptionem tragico poetae elegiacus Ovidius colores mutuos dederit[3]; quamvis huius generis pigmenta

---

[1] Si Seneca hunc ipsum Ovidii locum ante oculos habuisset, certe non lepidam, quam ille adnectit, sententiolam neglexisset:

Quod caret alterna requie, durabile non est;
haec reparat vires fessaque membra novat.

[2] Phaedra item *τὰ ἀναγκαῖα* praetexit frg. 436.

[3] Easdem sententias invenies Ov. Amor. III, 8. 35 sq. Sed praeter

a Graeca tragoedia non utique aliena fuerint[1]. — At quod nutrix apud Senecam Hippolytum edocet v. 466 sq.: Iovem providisse, 'cum tam rapaces cerneret Fati manus, ut damna semper subole repararet nova', sed si Venus humanam societatem dereliquerit, fore, ut orbis iaceat 'squalido turpis situ' v. 469 sq., nonne ille pro sua natura apte respondisset, ut in Coronifero v. 618 sq. Iovi convicians, quod liberos creandos non emendos curasset; aptius certe, quam illic? Nam omnia suadent, ut sumamus priorem quoque Hippolytum feminam ducem malorum artificemque scelerum (Sen. 559) exagitasse, ea fortasse ratione, ut nutrici sensus suos de ista peste ac pernicie aperiret, quales in frg. inc. 1045 fuse exponuntur, deis postremo exprobrans v. 6:

εἰ δέ του θεῶν
τόδ' ἐστὶ πλάσμα, δημιουργὸς ὢν κακῶν
μέγιστος ἴστω καὶ βροτοῖσι δυσμενής.

Nam Seneca hoc rursus bene instituit Graecum, ut contendo, exemplar secutus, quod Hippolytum, postquam noverca eius genibus adlapsa est (v. 667), in tanta affectuum concitatione non

---

hunc locum Seneca ante oculos habuit Ov. Met. I. 89 sq.; conferas Sen. 555 sq. cum Ov. 144 sq.; neque noverca (Sen. 558) apud Ovidium (v. 147) deest. — Ceterum tralaticia haec materia in poesi Romana; cf. Tibull I, 3. 35 sq. Prop. IV, 13. 25 sq. Aetna. v. 9 sq. Verg. Georg. I, 125 sq. Hor. Ep. od. XVI, 41 sq. Ov. Met. XV, 96 sq. Senec. Med. 301 sq.

[1] Moschion frg. 7. ampullas de aurea aetate proicit eo quidem sensu, ut primaevam naturam impolitam morumque rigidam asperitatem excultae seriorum hominum vitae opponat. De comicorum commentis cf. Birt Elpid. p. 19 sq. — Iis autem, qui philosophicis conclusionibus indulgeant, libebit Hesiodeam hanc et Platonicam, quam item Seneca tuetur, opinionem de aurei aevi felicitate omnibus numeris absoluta apud Moschionem in contrarium subversam memoriae mandare. Cuius contrariae sententiae propugnator fortasse Theophrastus exstitit; cf. Rohde Gr. Rom. p. 201 (21). Tales autem fluctuationes progrediente hominum cultura ut aestus maris accidere et reciprocare solent. Nam, qui aliquam cum praestantissimo quoque Germanico superioris saeculi poeta familiaritatem contraxerit, eum non fugiet tunc praevaluisse illam de hominum degeneratione opinionem, quam Rousseau sanxit. Contra nostri aevi opinio vulgaris plerumque in contrarium inclinat praeeunte rerum physicarum disciplina; cf. Grimm Goethe I p. 64.

amplius tumidam ac plumbeam cantilenam de diro muliebri genere declamantem facit[1]. Sed etiam certiora sciri possunt. Nam pro certo affirmare ausim Valckenarium recte coniectasse clausulam orationis Hippolyti ex priore editione in alteram irrepsisse v. 664—68[2]. Quos versus in universum prolatos hoc loco languere, postquam Hippolytus ex more Euripideo sententiam generalem ad singularem, quae in manibus est, causam adaptavit, ii, quibus cor ut aiunt sapit, persentient. At quadrant haec convicia in priorem Velati scaenam, ut Senecae similes versus 566 sq. vincunt.

Sed iam Phaedra ipsa morae impatiens privignum adit, in qua scaena exornanda poeta Graecus, ne Romano hanc laudem vindicem, egregium artificem se praestitit. — Procedens igitur illa v. 583 sq. repente se animo linqui simulat; collabitur, Hippolytus collapsam excipit, anus torpentem excitat v. 587:

attolle vultus, dimove vocis moras:
tuus en, alumna, temet Hippolytus tenet.

Iam illa luci reddita ad immane propositum peragendum se accingit, sed verecundia deturbata culpaeque conscia inter varia consilia fluctuat et, unde potissimum capiat exordium, cunctanter quaerit. — Vestigia hic latent Graeci exemplaris. Nam si Ovidii Phaedra scribit v. 7: 'ter tecum conata loqui' e. q. s., quid aliud exprimit nisi istam cunctationem (cf. Sen. 602 sq. 637)? Senecae autem Phaedra secum reputat v. 596 sq.: 'si coepta exsequor, Forsan iugali crimen abscondam face'. Item Ovidiana puella v. 137 sq. nomina modosque diversos illa quidem quaerit, quibus crimen obtegat. Neque, quae illa addit v. 598: 'honesta quaedam scelera successus facit', Euripideum sophisma non sapiunt; nam in mentem venit nutrix apud Euripidem ita

---

[1] In Coronifero res aliter se habet; cum concitatio eo leniatur, quod nutrix intercedit. — Nihilo secius Hippolyti fusa iurgia in liberorum procreationem illic ridicula sunt, quia nutricis incitans provocatio, quae in Velato, si recte disputavi, locum invenit, omnino deest.

[2] Euripideos hos versus esse Gloël l. l. p. 50 sq. merito contra Bartholdium Rh. Mus. l. l. p. 337 monuit, servandos esse, quo loco nunc leguntur, nemini eum persuasisse spero. Recte autem intellexit ad *λέγειν* v. 665 ex antecedentibus *μισεῖν γυναῖκας* suppleri debere. Coniecturis: *στυγεῖν* (Reiske) *ψέγειν* (Heimsoeth) sententiae acumen debilitatur.

ratiocinans v. 701: *πρὸς τὰς τύχας γὰρ τὰς φρένας κεκτήμεθα*[1]. Sed videamus, quae sequantur. Phaedram rursus frustra transitum ad coepta exequenda quaerentem interrumpit filius matrem eam fortuito appellans v. 608; qua invidiosa voce Phaedrae transitus aptissime paratur. Memineris eodem artificio Euripidem in servata Hippolyto v. 310 usum esse, scilicet ut aliquo verbo temere intericiendo diverbia incerte fluctuantia sistat iisque inde prorsus diversam viam ingrediendam praescribat. Senecam autem in hac ipsa re ad Graecum exemplar apprime se adstrinxisse alio praeterea argumento postea proponendo demonstrabo. — Mavult igitur Phaedra famula vocari v. 611 atque adeo privignum obsecrat, ut mandata sceptra et se famulam accipiat v. 618. Similia Ovidiana puella iactat v. 164: 'serviat Hippolyto regia tota meo'. Sed casto iuveni aures ad lenocinia blandi alloquii clausae sunt; praetexit pietatem erga parentem fortasse sospitem v. 624. Quo tendit Ovidiana puella v. 127: 'i nunc, sic meriti lectum reverere parentis'. Phaedra autem subinde nova periclitans in initio denuo ambigue locuta v. 636 sq., iam satis plana verba de amore aliquo in pectore saeviente proicit, quam confessionem Hippolytus eo sublevat, ut novercam interroget, furatne Thesei amore v. 645, hac ratione ipse viam patefaciens, qua Phaedra filio, ut in quo patris imaginem recognoscat, amorem tute declarare possit. — Poeta igitur alteri personae quasi munus delegat in molesta materia sermonum fili deducendi; quod Racinium imitatum esse adnotare iuvat. At Euripides nonne eandem rationem init alteram Phaedram anxio affatu nutriculam ambientem fingens v. 345: *πῶς ἂν σύ μοι λέξειας ἁμὲ χρὴ λέγειν*; qui versus quam celeber fuerit, non solum Aristophanis parodia (Equit. 16) declarat, sed etiam, ut Buecheler me monuit, Menander conversus a Plauto Bacch. 35: 'quid si hoc potis est ut tu taceas, ego loquar? . . . . . lepide'. Senecae autem in ista scaena re vera Graecum exemplar facem praetu-

---

[1] Cf. trag. frg. adesp. 16. v. 2:

οὐδὲν ἦν πάντῃ καλὸν
οὐδ' αἰσχρόν, ἀλλὰ ταὔτ' ἐποίησεν λαβ`ν
ὁ καιρὸς αἰσχρὰ καὶ διαλλάξας καλά.

οὐδὲν ἂν vulgo; *οὐδὲν ἦν* Nauck.

lisse elucebit, si ad alias imitationes praeversus ero; item ad singula Phaedrae Romanae verba postea redeam necesse est. Interim arcessas ea, quae Leo (l. l. p. 177) disputavit, quibus quidem res non exhausta est. Nam quod Phaedra affirmat se uni privigno mutari respersam nulla labe, intactam, innocentem (Sen. v. 668), id rursus, si quid unquam, egregie illustratur Ovidii verbis Her. IV, 17 sq.:

non ego nequitia socialia foedera rumpam;
fama, velim quaeras, crimine nostra vacat.

Iuxta autem pergit ac si nunquam amarit, maritum nempe: 'venit amor gravius, quo serius' e. q. s. (cf. v. 29 sq.), quam satis delicatam cogitationem Senecae verba: 'intacta, innocens' tecte significant. — Denique, quod maximi ponderis est, non dubitandum, quin in scaena Euripidea Phaedra se supplicem Hippolyto abiecerit. Nam aut nihil video aut in Ovidianae Phaedrae verbis tenemus vividam aliquam tragoediae scaenam v. 149: 'non ego dedignor supplex humilisque precari', v. 153 sq.: 'victa precor, genibusque tuis regalia tendo Bracchia'[1]. Cum quo Seneca mirifice congruit v. 666 sq.: 'en supplex iacet Adlapsa genibus regiae proles domus'. Quibus adiungas Ov. v. 156: 'da veniam fassae duraque corda doma!' et Sen. 671: 'miserere amantis' — quae tragicae Phaedrae imprecatio gradationem perquam efficacem exhibet, quando illa antea v. 623 ad multo verecundiorem precem descenderat: 'miserere viduae!' Admodum autem probabile Hippolytum in tam foedo adspectu pudorem non verbis tantum (frg. 439: *ὦ πότνι' αἰδώς κτλ.*) manifestantem caput vestimento obvolvisse, unde fabula nomen invenit, ut Toup et Welcker coniecerunt[2]. Repulsa Phaedra iterum privigni genibus advolvitur v. 703, atque etiam amplectitur eum v. 705; quod quin maxime visum sit *ἀπρεπὲς*

---

[1] Sic adducitur quasi in scaenam ipsam Iole captiva Ov. Her. IX, 121 cf. Birt l. l. p. 407.

[2] Cf. Leo l. l. p. 182 (27). Phaedra caput pudore obvolvit Eur. Hip. 243, item Hercules Eur. Her. fur. 1198 sq. — Pausanias III, 20. 10 sq. narrat de Penelopa, cum ab Ulixe interrogaretur, velletne se sequi an apud patrem remanere: *καὶ τὴν ἀποκρίνασθαί φασιν οὐδέν· ἐγκαλυψαμένης δὲ πρὸς τὸ ἐρώτημα Ἰκάριος τὴν μέν, ἅτε δὴ συνιεὶς ὡς βούλεται ἀπιέναι μετὰ Ὀδυσσέως, ἀφίησιν, ἄγαλμα δὲ ἀνέθηκεν Αἰδοῦς. ἐνταῦθα γὰρ τῆς ὁδοῦ προήκουσαν ἤδη τὴν Πηνελόπην λέγουσιν ἐγκαλύψασθαι.*

καὶ κατηγορίας ἄξιον (Arg. Eur. Hip.), non dubito. At Hippolytus ira effervescens stringit ensem, mortem minatur. Tunc Phaedra v. 710: 'Hippolyte, nunc me compotem voti facis' e. q. s. His omnibus Musam vere tragicam et Graeco poeta dignam adspirasse vel is, qui sensibus alienatus est, sentire debet[1]. In Hippolyti autem iracundia ablati deprecationibus introitus v. 671 sq. componi potest cum Eur. Hip. 601 sq. et Sen. v. 715 sq. cum Eur. v. 653; quamvis in furore erumpente immoderate depingendo rhetor grassatus sit.

Iam vero filum fabulae restaurandae, quatenus id hoc loco fieri potest, pertexere conveniat. Poeta Romanus nodum nectit gladio, quem Hippolytus abicit v. 714, nutrix arripit pignus sceleris v. 730, Phaedra marito commonstrat ad stupratorem coarguendum v. 896 sq. Cum verisimile sit Aegeum in Euripidis cognomini fabula filium signis sui generis agnovisse, quae in capulo gladii eburno, ut Ovidius dicit, videret[2], nescio an poeta Romanus Graeci auctoritatem amplexus sit, cum hunc ipsum gladium actioni illigandum curaret. Quam opinionem alio loco stabiliam.

Theseum apud Euripidem quoque ab inferis redisse — in qua re olim falso ad frg. 446 provocare solebant — Leo iam probavit (l. l. p. 179). Nam si Plutarchus l. l. Phaedram mariti παρανομίας exagitasse refert, his nihil aliud significari, quam 'stupra et illicitos toros' quos 'miles audacis proci' in Acheronte quaerat, Senecae verba v. 91 sq. arguunt. Itaque, cum Ovidii Phaedra hinc obiurgandi initium capiat v. 109 sq.:

Tempore abest, aberitque diu Neptunius heros:
illum Pirithoi detinet ora sui

mihi quidem dubium non est, quin poeta idem iter in animo habeat, licet Phaedram ita scribentem faciat, tanquam accurate definire nequeat, quo maritus profectus sit; intellegenti lectori

---

[1] Diverbium hoc singulis partibus arte inter se cohaerentibus artificiosius progreditur, quam apud Racinium, qui Phaedram ultro se morti offerentem fingit. Summam igitur laudem, qua Gallorum poeta propter egregiam totius scaenae gradationem ornari solet (cf. Lessing vol. IV p. 245 Lachm.), maiore iure Graeco exemplari impertias.

[2] Met. VII, 422 cf. Welcker l. l. p. 732. In Thyestis quoque fabula gladius recognoscendi signo fungitur secundum Hyginum f. 88.

satis habuit addere: 'aberitque diu', quibus verbis insuper tecte respicit ad Vergilianum illud (Aen. VI, 617 sq.): 'sedet aeternumque sedebit Infelix Theseus'. Neque enim video, qua causa Theseo crimini verti possit, quod nuptiis Hippodamiae, de quibus Birt (l. l. p. 405) cogitat, monstra propulsans virtutem tuens adfuerit [1].

Seneca vero in hoc mutandi licentiam sibi assumpsit, quod Hippolyto non amplius in scaenam producto Theseum absentem filium conviciis incessentem finxit. Graecum poetam optimam occasionem, ut tumidam sermonis forensis ac iuris dicundi doctrinam ostentaret, non praetermisisse frg. 442 vincit, quod supra attigi; adde, quod Romanus Theseus perinde loquitur, quasi filius ex adverso stet v. 924, 929 sq. Similes denique attende v. 915 sq. Euripideis 948 sq. [2].

Sed quomodo Phaedra? Eam manum sibi non intulisse utpote audacem et ad scelera pronam, antequam ulciscendi cupiditatem interitu privigni explerit, ut bene Weil (Eur. p. 4) exposuit, pro concesso sumo. Leoni autem adstipulor, qui ex argumenti natura consentaneum esse ducit (l. l. p. 179) Phaedram post relatum de Hippolyti morte nuntium rursus comparuisse et morti suae praefatam esse. Quanquam in hac quaestione pensi non habeo frg. 446:

ὦ λαμπρὸς αἰθὴρ ἡμέρας θ' ἁγνὸν φάος,
ὡς ἡδὺ λεύσσειν τοῖς τε πράσσουσιν καλῶς
καὶ τοῖσι δυστυχοῦσιν, ὧν πέφυκ' ἐγώ.

Quae etiamsi Leo iure Phaedrae dat, tamen haec esse verba mori volentis mihi non persuasit. Talia qualibet aegritudine et afflictatione se relaxanti tribui posse documento sunt ipsius Phaedrae verba in servata fabula v. 672: *ἰὼ γᾶ καὶ φῶς. | πᾷ ποτ' ἐξαλύξω τύχας*; et quod maioris momenti est, nonne nutrix perinde loquitur, ac si alumna lucem et aera desiderarit, v. 178: *τόδε σοι φέγγος, λαμπρὸς ὅδ' αἰθήρ*? Perquam similis est Sophocleae Electrae lucis invocatio v. 86: *ὦ φάος ἁγνὸν καὶ γῆς ἰσόμοιρ' ἀήρ* (cf. Eur. El. 59).

---

[1] In Ovidii vers. 110 mendum non delitescere iam persuasum habeo, ubi Birtii felix coniectandi facilitas frustra medelam circumspexit.

[2] Non sine specie veri huic Thesei orationi adscribas frg. inc. 897 et frg. 968, quo potuit Hippolyti immodica sui admiratio castigari (cf. Eur. Hip. 994 sq.).

Sed Graecae tragoediae non sufficit mortis sola praefatio, nuntio de peracta morte opus est; quam sententiam duo sarcophagi egregie confirmant, ad quos idcirco hoc loco diligentius animum advertere debeo. Alter, qui Parisiis exstat [1], in sinistra et media parte nihil exhibet, quod a tralaticia aliorum sarcophagorum repraesentatione deflectat, ideoque hic accurata figurarum descriptione supersedeo. Nam illic Phaedra, cuius genibus Amor se applicat, languida in sella recubat ab ancillarum coetu circumdata; hic nutrix Hippolytum adit, servus in dextram progrediens Hippolyti equum ducit. Sed prope servum in dextra parte senex barbatus conspicitur, indutus pallio sinistro umero et imo corpori circumvoluto; dextram effert ante pectus extensis digitis, qui praefracti sunt, simul se convertens ad feminam, cum qua acriter loquens in dextram progreditur. Illa induta est tunica succincta in dextrum bracchium defluente et amictu, quem dextra prendit, praeterea, ni fallor, soleis; crines reticulo religati esse videntur. Sinistra ante pectus elata puerulum portat, qui dextram ad feminae mentum porrigit, sinistra fructum tenet [2]; femina autem retro vertit caput ad senem simul progrediens. Denique in extrema dextra imagine sedet ad sinistram in sella, quae podio imposita est et cuius pedes in leonis ungues formati sunt, vir barbatus soleis, tunica, toga indutus sinistro umero et imo corpori circumvoluta, sinistram sellae imponens, dextra ad mentum admota. Aperte autem attentum se praebet auditorem iuveni, qui exomide et calceamentis indutus ante eum prope adstat et ei aliquid narrare videtur; feminae modo descriptae tergum obvertens, dextra, cuius duo extensi digiti praefracti sunt, elata, sinistra ut videtur baculo innisus. — Alter sarcophagus effossus Salonae nunc Spalatii asservatur multo ille deterioris laboris [3].

---

[1] Repertus est simul cum pulchro sarcophago, qui nunc Petropoli asservatur, prope limen terrae Toscanae in cella sepulcrali. Cf. H. Hink Mon. dell' Inst. VIII, 38. 1. Annal. dell' Inst. 1867 p. 109 sq. Brunn Bullett. dell' Inst. 1853 p. 106. Conze Vorlegebl. Ser. V. T. XII, 2.

[2] Fructum hunc esse Brunn, qui ipse sarcophagum vidit, mecum communicavit.

[3] Cf. Conze, Lützow Zeitschr. f. bildend. Kunst VII. 1872 p. 65 sq. p. 259 sq. Römische Bildwerke einheimisch. Fundorts in Oesterr. I. p. 1 sq. T. 1. (Denkschr. d. kais. Akad. der Wissensch. Wien 1873

Quod ad repraesentationem attinet, nemini dubium esse potest, quin teneamus quasi alterum quoddam idque neglegentius sculptum apographon eiusdem archetypi, a quo Parisinus ille originem duxit. Itaque quattuor accurate modo descriptas figuras eadem serie exhibet; discrepat tantum in levioribus rebus: senex dextram ad mentum admovet, puerulus sinistra nihil tenet, nuntius vir barbatus est. — Tragoediam signis sarcophagorum expressam esse luculenti hi testes sunt. Etenim virum barbatum illum in solio sedentem quis est, quin intellegat Theseum esse nuntium de Hippolyti interitu audientem? De duabus reliquis figuris multa satis eleganter coniectari possunt, si quis satis habuerit his figuris qualemcunque sensum subicere. Talia interpretibus facile condonabimus; nam si non tragoedia ipsa interpretationi certa subsidia suggerit, de ea actum est. Quare non minus iis antevertere volui, qui forsan illam feminam pro dea habeant; cui coniecturae etiam obstrepit totus habitus modusque, quo huic scaenae inserta est (cf. Hink l. l. p. 121); cum ni fallor verecundia quaedam artifices prohiberet, quominus deos hoc modo neque insigni ullo instructos neque elatiore habitu rebus humanis immiscerent. An fructum a puerulo latum, quem alter sarcophagus etiam omisit, insigne esse affirmabis? — Rationem, qua rem expediamus, satis antea munivi. In puella ad dextram progrediente serva agnoscenda, quae ad Theseum festinans nuntium de Phaedrae morte allatura est; iussa illa a domina liberos Thesei fidei ac tutelae committere, cuius signum puerulum adportat; nam altera quoque Phaedra non semel tantum liberorum memor est (cf. v. 421. 717). Servam comitatur paedagogus — nam sic senem merito nomines —, qui ex subitaria Phaedrae nece voluntaria novam suspicionem trahens domini innocentiam strenue defendit contra servam, Theseum fortasse hoc dehortaturus frg. 443:

Θησεῦ, παραινῶ σοι τὸ λῷστον· εἰ φρονεῖς,
μηδὲν πιθοῦ γυναικὶ τἀληθῆ κλύων[1].

XXII) Vorlegbl. Ser. V. T. XII. 1. Dumont Rev. archéol. 1872 p. 118 sq. Heydemann Arch. Zeit. 1872 p. 60.

[1] Cod.: *γυναικὶ πείθου μηδὲ τἀληθῆ κλύων*, quod vulgo interpretati sunt: ne credas mulieri, etiamsi vera audis; quam sententiam prorsus perversam dudum reprobavit Hiller (Liber misc. ed a soc. philol.

In servata fabula nuntius post tristem cladis narrationem exclamat v. 1249 sq.: nunquam fore, ut sibi persuaderi possit dominum improbum esse, ne tum quidem, si omne feminarum genus suspendio se necarit Idaeque pinus ubicunque litteris impleatur. Poeta nempe sui ingenii amantissimus inventa non facile abiecit. — Fabulae igitur progressus hic erat: post nuntii discessum Phaedra ad necem se parat et brevi fortasse cantico interiecto serva et paedagogus procedunt Phaedrae mortem nuntiantes. Vere tragicum hoc: damnum damno continuari, de criminis auctore ultro citro ambigi, Dianam omnia revelare[1].

De Senecae nuntio denique in paucis subsistere possum. Consimiliter eum poeta Romanus inducit v. 989 sq. atque Euripides v. 1151 sq. In monstro horride depingendo et tota luctifica strage taetris coloribus exornanda et amplificanda multa Senecae officinae haud gravate tribues. Omnia autem singillatim cum servata Hippolyto componere supervacaneum duco, quia Euripides certe non omnia ex altera fabula retinuit,

---

Bonn. 1864 p. 44), repetiit nuper Wilamowitz Hermes XV p. 484 (1): 'trau einem Weibe nicht einmal, wenn sie die Wahrheit sagt'; hac interpretatione a verbis insuper leniter deflectente sensus perversitas non removetur. Neque ipsi Hillero medela bene cessit: obsequere mulieri, etiamsi vera non audis, quod contorta explicatione eget et Euripidi omnino obstrepit, qui ita in Stheneboea frg. 673:

πιστεύειν δὲ χρὴ
γυναικὶ μηδέν, ὅστις εὖ φρονεῖ βροτῶν.

Itaque nisi sumere mavis versus crassa Minerva e contextu evulsos esse, aliam rationem non video nisi eam, quam supra verborum ordine mutando inii Leone duce (l. l. p. 183), qui hoc fragmentum respondere opinatur chori verbis Hip. 891 sq. — Paedagogo autem Welcker l. l. p. 742 iure fortasse tribuit frg. inc. 1052, cum quo congruunt, quae Coroniferus v. 993 sq. de se ipso praedicat.

[1] Lapicida actionis decursum non observans in ultima dextra parte id ponit, quod tempore prius est; quae inversio, ut ita dicam, nemini figurarum collocationem ordinemque et leges responsionis in rationem vocanti fucum faciet; exempla non rara sunt. — Nutricem denique, quae nuntii munere fungatur, praepropere desiderares, cum libidinis ministram respui consentaneum sit post flagitiosos conatus ad irritum revolutos. Dubitantes meminerint Coroniferi et Francogallici exemplaris.

ut supra evici. Narrandi progressum inde ab equis iugo subigendis, in qua re Senecae verba v. 1002 sq. magis Velati fragmento 445 quam Coroniferi versui 1183 respondent, eundem esse neminem fugit. Insigniter etiam eo congruunt, quod iuvenem exsilio affectum multa secum loquentem et patrem abominantem fingunt (Eur. v. 1190 sq. Sen. v. 1004 sq.)[1]. Ad nonnulla autem, quae poetae Romano propria sunt, posthac revertar.

Ad cantica praevertamur: Euripidem in correcta editione choros vel, ut rectius dicam, eorum sensus novasse exceptis iis locis, quorum mutata oeconomia hoc postularet, parum verisimile videbitur iis computatis, quae hic illic de eius more retractandi docui. Seneca autem haud raro in choris ab iisdem sententiarum capitibus, a quibus Euripides, proficiscitur, unde nimirum in altum evectus cuiusvis generis floscula a Graeci cothurni dignitate aliena orationi immiscet; quamvis licet praeterea eo excellat, quod cantica ab idonea sede remota alieno loco inculcat[2]. Omisit igitur parodon (Eur. v. 121 sq.) et alterum stasimon (v. 732 sq.) idque iure, quia ad Phaedrae mortem alludit. Neglecta autem parodo canticum, quod Amoris vim celebrat, iam statim post nutricis et Phaedrae colloquium inseruit v. 274 sq., Euripides demum post amoris confessionem v. 525 sq., atque ibi aptius, quoniam hoc modo amor ad effectum redditus illustratur. Seneca autem hic praecipue quartum Euripidis stasimon v. 1268 sq. ad Amorem id quoque pertinens compilasse videtur, ubique videlicet ornamenta et exempla tragico exemplari repugnantia Euripideis agglutinans. — Iam singula perlustres. In exordio telorum Amoris praestantia celebratur, quam Euripides significat v. 530 sq. et 1271, si πτερόν cum scholiasta βέλος interpretaris. Versus Sen. 331 sq. eodem tendunt, quo Eur. v. 1272 sq. (cf. v. 447 sq., frg. 434). Versus autem Sen. 338 sq. copiose effingunt Eur. v. 1274 sq., quam eandem sententiam de Venere etiam in animalia et in omnia, quae terra caelumve progignit, dominante fusius tractat So-

---

[1] De versu Sen. 1057, quem perperam Euripideo 1197 composuerunt, cf. Leo l. l. p. 205 sq.

[2] Huius perversae rationis similia exempla suppeditant Herc. fur. et Medea; cf. Leo l. l. p. 161. 164.

phoclis frg. inc. 856 v. 9 sq. unius Stobaei satis infirma auctoritate huic adscriptum atque iure a Nauckio Euripidi redditum[1]. — Sed stasimo illo, quod in Graeco exemplari post amoris confessionem collocatum invenit, remoto quid poeta Romanus substituit? Parum apte finxit Hippolytum statim post turpe colloquium cum noverca effugientem (v. 729, 901) minime Graecum exemplar secutus, si memineris illic filium patri se purgare studuisse. Adde, quod fuga sceleris conscientiam prodere videtur. Neque sibi constat poeta, cum postea rem ita vertat, ac si patris dirae fugam adduxerint (v. 929, 1000). Fugae igitur adnectit longum carmen v. 736 sq., quod pulchritudinem iuvenis concitato gradu se proripientis coloribus certe non Euripideis depingit, de quibus alias. Imago quidem stellae, quae ventis agitata longos porrigit ignes (cf. Verg. Georg. I, 365 sq.), qua initio v. 739 fugam illustrat, memoriam tibi afferat chori Euripidei Hippolytum effugientem canentis v. 1121 sq.:

ἐπεὶ τὸν Ἑλλανίας | φανερώτατον ἀστέρ' Ἀθάνας
εἴδομεν εἴδομεν ἐκ πατρὸς ὀργᾶς
ἄλλαν ἐπ' αἶαν ἱέμενον[2].

Sed nescio, an Senecae Ovidius Phaethontem in praeceps per aera latum cum stella de caelo cadente comparans (Met. II, 320 sq.) ansam dederit. Priori autem chori Euripidei parti v. 1102 sq. similia canit chorus Romanus item post exsecrationem Hippolyti v. 959 sq., quorum summa haec: 'res humanas ordine nullo Fortuna regit sparsitque manu Munera caeca' (v. 978 sq.). Et quod longius praeterea immoratur in obiurgandis deis, quod parum solliciti sint bonis prodesse malis nocuisse; hic sensus in choro isto quidem Euripideo translucet tantum, alias clare

[1] Philolog. IV p. 542. — Welcker l. l. p. 737 Matthiaeum secutus Hippolyto Velato vindicare conatus est Eur. frg. inc. 890, Veneris vim illustrans audaci et praeclaro de amore caeli imbre gravati exemplo, quod quidem Aeschylo debetur (cf. frg. 43); iure fortasse. Nam Plutarchus Amat. 13 (8) cum primo huius fragmenti versu conflavit versus Hip. 449—450. Qui error inde repeti potest, quod hi ambarum editionum loci lemmate neglegenter adscripto iuxta positi erant. Ceterum versui 4 similem sententiam exhibent Eur. Hip. v. 448 sq.

[2] Comparatio cum stella item occurrit in Eur. frg. inc. 961 et frg. adesp. 33.

pronuntiatur[1]. Audeo igitur Euripidi assignare frg. adesp. 72:

πολλάκι μοι πραπίδων διῆλθε φροντίς,
εἴτε τύχα [τις] εἴτε δαίμων
τὰ βρότεια κραίνει,
παρά τ' ἐλπίδα καὶ παρὰ δίκαν
τοὺς μὲν ἀπ' οἴκων δ' ἀναπίπτοντας
ἀτὰρ θεοῦ, τοὺς δ' εὐτυχοῦντας ἄγει[2]

et versibus Eur. Hip. 1102 sq. similem introitus formam et Senecae imitationem in rationem vocans ipsi nostro Velati loco. Restat unum canticum post nuntium insertum Sen. v. 1123 sq.: 'minor in parvis Fortuna furit Leviusque ferit leviora deus'; quo loco Euripides v. 1268 sq. chorum Amoris laudes canentem inducit, quibus Senecam alio loco abusum esse modo vidimus. Sententiam autem, quam poeta Romanus illustrat, Graecae tragoediae minime ignotam fuisse documento sunt Eur. frg. inc. 1027 et frg. adesp. 462, quod plane in eadem sententia copiose tractanda versatur. Simul velim in memoriam revoces me antea huic ipsi prioris Hippolyti loco Phaedram neci voluntariae praefantem et nuntium de eius morte vindicasse. Quid igitur? Phaedram reginam divitiarum contubernio voluptates excitante corruptam[3] — talem Phaedram mortem voluntariam subituram[4] nonne chorus aptissime contemplationibus de fortuna, quae minor in parvis furat, prosequeretur? Computa modo, qua ratione Seneca Graecum exemplar secutus (cf. Leo l. l.) nutricem alumnae libidinem exagitantem proponat v. 204 sq.:

quisquis secundis rebus exsultat nimis
fluitque luxu, semper insolita appetit.
Tunc illa magnae dira fortunae comes
subit libido e. q. s.

---

[1] Cf. Hec. 488 sq. frg. 288, 829. Hic quoque Menander Euripidis aemulatorem se praestitisse videtur; cf. frg. 581. M. IV, 252. frg. 771—774. M. IV, 288. 289.

[2] V. 2 τις om. libri, v. 3 κρίνει Nauck scribendum suspicatur, v. 5 sq. τοὺς μὲν ἀπ' οἴκων καταπίπτοντας (vel ἀποπίπτοντας) ἄτερ θεοῦ coniecit Gesner.

[3] Cf. frg. 441: ὕβριν τε τίκτει πλοῦτος, οὐ φειδὼ βίου et frg. 440. Simul Senecae et Ovidii sententiis in censum vocatis, quomodo haec omnia mutuo se lumine insigniter illustrent, Leo l. l. p. 174 sq. enucleavit.

[4] Iis computatis, quae antea disputavi, longiori cantico post Phaedrae mortem aptus locus non est.

et v. 209 sq.:

cur in penates rarius tenues subit
haec delicatas eligens pestis domos? e. q. s.

Accommodatissimum autem ad tragoediae dignitatem etiam id, quod chorus, qui modo caecae fortunae ludibria exprobravit, iam his ratiocinationibus priora convicia quasi compensat. At Seneca, qui totam oeconomiam in fine fabulae mutavit, Graeci exemplaris subtilem argumentandi elegantiam abolevit, cum decantata sententia: 'Fortunam nulli fidem praestare' incommode immixta ad Theseum provocavit v. 1141 sq. Ad extremum, si recte adhuc disputavi, in priore Hippolyto non legebatur retractatae fabulae stasimon quartum post nuntium de Hippolyti morte. An tu hoc loco Amoris praeconia gravate desiderares? Mihi quidem semper visum est in Amoris ista laudatione parum apte inculcata — nam Venus non pueri sui divina gratia ac venustate heroem domuit, sed malarum artium aperta vi insontem oppressit — suturam neglegenter retractatae artis delitescere. Cui suspicioni Seneca hoc choro priore loco abusus valde succurrit.

De Sophoclis Phaedra, quae in hac de Hippolytis Euripideis disputatione alicuius momenti esse videatur, pauca opus est disserere, antequam pergam. Quam quidem fabulam qui ex laceris, quibus benigna sors favit, frustulis iisque maximam partem generalibus habilibusque in omnem partem sententiis per sua quasi tabulata exaedificare conentur, vereor, ne videant in somnis quidquid voluerint, quibus coniectores defuturi sint. Welcker autem, ingeniosus ille divinandi artifex, in inexplicabilia dumeta abreptus est, cum Asclepiadis consarcinata, ut videbimus, narratione ad oeconomiam fabulae Sophocleae instaurandam uteretur et Ovidium in quarta Heroide ad hanc ipsam fabulam se applicuisse censeret [1]. Hunc si audis, Phaedrae Sophocleae mores non admodum diversi fuerunt ab Euripideae

---

[1] L. l. p. 394 sq. — Hiller l. l. p. 34 sq. nihil fere novi attulit, nisi quod Senecam praeter Hippolytum posteriorem Sophoclis tragoediam fortasse imitari ratus est (p. 48). Talia iam missa faciamus. Swahn (de Hippolyti Senecae fabula I Holm. 1857) item contendit Senecam Sophoclis Phaedram imitari. Mihi non licuit eius librum inspicere; cf. Teuffel Röm. Litteraturgesch. (3) § 290. 6.

in priore fabula. In qua quaestione miror Aristophanis cavillationes ab omnibus neglectas esse. Ille enim acriter in Euripidis Phaedras πόρνας invectus (Ran. 1043)[1] Aeschylum defendentem introducit antiquum et castum scribendi morem contra Euripidem, qui stuprum fere ipsum in scaenam produxit, his verbis Ran. 1053: ἀλλ' ἀποκρύπτειν χρὴ τὸ πονηρὸν τόν γε ποιητήν. Quid? Si Sophocles quoque Phaedram suam pestifera libidine manifesto raptam in scaenam induxisset, num fieri tum omnino potuit, ut comicus his conviciis Euripidem consectaretur? Itaque quod Lehrs olim contendit (Popul. Aufs. p. 18): si eae Sophoclis fabulae servatae essent, in quibus poeta Helenam in scaenam deducendam sibi proposuit, fore, ut castum et pudicum tractandi morem admiraremur, id aequo iudicio ad Phaedram traducemus, praesertim cum eius moderantia ex frg. 614 ipsi Phaedrae sine dubio assignando dilucide cognoscatur:

> σύγγνωτε κἀνάσχεσθε σιγῶσαι· τὸ γὰρ
> γυναιξὶν αἰσχρὸν εὖ γυναῖκα[2] δεῖ στέγειν.

Nonne Sophoclis Phaedra hoc loco, quo cum choro foedum amorem communicasse videtur, ut posterior Phaedra Euripidis v. 373 sq.[3], quasi commendat et praestat, quod in Euripide Aeschylus apud comicum desiderat? Atque ni fallor poeta de industria suadentem heroinam fingit castam taciturnitatem petulantiae contrariam, qua prior Euripidis Phaedra crimen professa erat (cf. frg. 436); quae quantum afuerit ab occulenda taetra libidine ex ea, quam adumbravi, imagine cognosci licet. Itaque quod Aristophanes saepius Euripidis Phaedram propter ipsam materiam, ut videtur, contumeliose denotat (cf. Thesm. 153. 497) plane neglegens Sophoclem quoque Phaedram in scaenam produxisse, id faciliorem explicatum habebit, si sumpseris

---

[1] Ambas Phaedras denotat; nam hoc loco Phaedras cum Sthenebоeis componit, cum Melanippis Thesm. 547 addens singulari numero Πηνελόπην δὲ οὐπώποτ' ἐποίησ'. Nihilo secius Aeschylus l. l. tale vitium exagitat, quod Euripides in retractata fabula anxie vitaverat; novum id documentum, quam non ad vivum resecari debeat comici dicacitas.

[2] Codd. aut ἐν γυναικὶ aut σὺν γυναικί; εὖ γυναῖκα scripsit Nauck.

[3] Alio sensu Euripidis Phaedra v. 710 sq. silentium precatur (cf. Welcker l. l. p. 398).

Sophoclis auctoritatem eo valuisse, ut Euripides postea fabulam suam retractaret et moderatiorem Phaedram proponeret[1]. Itaque tantum abest, ut cum Welckero in frg. 615:

αἴσχη μέν, ὦ γυναῖκες, οὐδ' ἂν εἷς φύγοι
βροτῶν ποθ', ᾧ καὶ Ζεὺς ἐφορμήσῃ κακά·
νόσους δ' ἀνάγκη τὰς θεηλάτους φέρειν

audaciam quandam agnoscam, quae libidinibus simulationum involucra circumspiciat, ut tantum animum devotum et sedatum significari videam, qui mala divinitus immissa patienter toleret. Cave ne altiorem sensum his verbis subicias, cum de ferendi via ac ratione v. 3 nihil significatum sit (cf. Eur. Hip. 398). Eadem autem tranquilla iudicii aequitate Deianira Herculis amorem excusat (Soph. Trach. 441 sq.). Ad summam igitur negare ausim Sophoclem ipsam foedam amoris confessionem in scaenam admisisse. Hic potius auctor erat, quem Euripides fabulam retractans sequi posset, licet in aliis rebus invicem ad priorem aemuli fabulam se applicuerit; nam Theseum Sophoclem quoque ab inferis redeuntem finxisse frg. 620 probat, ut Leo demonstravit[2]. Theseo filium criminanti si quis cum Welckero frg. 618 tribuerit, non prorsus refrager; eidemque assignari potest frg. inc. 810. Reliquis autem fragmentis ad filum fabulae pertexendum abuti poetis liceat, critici hic consistant.

Hinc converto me ad breves nostrae fabulae narratiunculas examinandas, num in iis forsan Euripidis vestigia lateant. Asclepiades autem, qui causa incognita modo damnatus est, agmen ducat, ne amplius malum excitet. Ille igitur de Phaedrae amore ita[3]: *Φαίδρα δὲ ἐρωτικῶς διατεθεῖσα τοῦ Ἱππολύτου, σφοδρῶς ἐπ' αὐτῷ τηκομένη τὸ μὲν πρῶτον ἱερὸν Ἀφροδίτης ἐν Ἀθήναις ἱδρύσατο τὸ νῦν Ἱππολύτειον καλούμενον*, quae minus

---

[1] Sophocleae fabulae memoriam iam tum vulgo quidem oblitteratam fuisse non nego. At agitur de comico viro quodammodo litterato. — Welcker autem (p. 743 sq.) perverse ita argumentatur, quasi Sophoclis proterva immoderataque Phaedra fulgore claritatis suae Euripidis priorem Phaedram oblivione adeo obruerit, ut ille iam moderatam animosque miseratione moventem Phaedram fingeret.

[2] L. l. p. 179; cf. Wilamowitz Herm. XV p. 483 (3).

[3] Schol. Hom. λ. 321. Müller F. H. G. III p. 305. Brevitatis causa Asclepiadis nomen retineo, quanquam scio his subscriptionibus nullam fidem habendam esse; cf. Schwartz de schol. Hom. p. 444 sq. 452 sq.

accurate exprimunt, quod Venus in Hippolyti prologo de Phaedra acri desiderio tepente narrat v. 29 sq.:

καὶ πρὶν μὲν ἐλθεῖν τήνδε γῆν Τροιζηνίαν,
πέτραν παρ' αὐτὴν Παλλάδος κατόψιον
γῆς τῆσδε ναὸν Κύπριδος ἐγκαθείσατο,
ἐρῶσ' ἔρωτ' ἔκδηλον· Ἱππολύτῳ δ' ἔπι
τὸ λοιπὸν ὠνόμαζεν ἱδρῦσθαι θεάν.

De templi nomine credibile commentarium adhibitum esse; nam similia etiamnum in scholiis (v. 30) leguntur: *ἐκάλεσε δὲ Ἀφροδίτην ἐφ' Ἱππολύτῳ*[1], *ἣν καὶ Ἱππολυτίαν καλοῦσι*[2]. Venus autem pergit v. 34: *ἐπεὶ δὲ Θησεὺς — τήνδε σὺν δάμαρτι ναυστολεῖ χθόνα* (v. 36), eodem modo Asclepiades: *εἰς Τροιζῆνα δὲ ὕστερον παραγενομένη κτλ.* Versus quidem illos 29—33 hoc loco ab Euripide scriptos esse viri docti quasi uno ore negaverunt[3], a quibus qui non stat, eum nego sobrii iudicii esse. Supersedeo autem decantatam quaestionem singillatim retractare. Offendunt praeter sensus non minus ipsa verba, de quibus Wheeleri disputationem consulas; qui quidem, cum versum 29 sanum esse contendat, suspicatur 'interpolatorem hunc versum ab Hippolyto Velato mutuatum esse integrum, sequentes 30—33 fortasse decurtatos'. Mirum hoc effugium et valde suspectum; debuerunt enim ad sanandum apta proferri. Adde, quod haec coniectura stare nequit, si antea recte disputavi Hippolyti Velati scaenam Athenis fuisse. Sed ut erraverim, tamen tibi non continget locum indagare, quem hi versus obtinere potuerint. Nam si servatam Hippolytum semper, ut par

---

[1] Hoc nomen nunc lapis testatur in arce ad Parthenonem inventus; cf. Kirchhoff C. I. A. I no. 212.

[2] Historiae fabularis compendiis adspersas esse doctas adnotationes ex commentatore poetae, quem describunt, depromptas Schwartz in dissertatione de Dionys. Scytobrach. passim evicit; cf. eius commentationem de schol. Hom. p. 449.

[3] Primus est Jahn (Hermes II p. 249), alter Schliack (Philol. XXXV p. 707). Quos miror Wheelerum, cum fuse hunc locum retractaret (l. l. p. 44 sq.), non novisse. — Adstipulantur praeterea Barthold in ed. et Klinkenberg (de Eurip. prol. art. et interp. p. 12). Gloël (l. l. p. 59) v. 29—31 defendens non vidit extremis versibus demptis prioribus mucronem, ut ita dicam, defringi. Arte enim cohaerere quinque versus Wheeler circumspecte probavit.

est, pro iudicii norma tenueris, in media fabula nullum invenies. Prologum autem Venerem illic quoque locutam esse peritus quisque cum Welckero concludet. Restat finis fabulae, de quo Jahn (l. l.) cogitavit, neque illic alium locum video, nisi quo Diana Phaedrae falsam accusationem revelat. Sed cui Diana crimina aperit nisi Theseo, cui supervacaneum erat copiose narrari Phaedram in arce Veneri templum consecrasse? Desinamus igitur elumbes hos versus, quos imperitus versificator procudit [1], Euripidi tribuere, praesertim cum eorum interpolatio tam facilem explicatum inveniat, quam vellem omnia huiusmodi menda. Scimus enim cultum nostro loco significatum novicium fuisse [2]. Quid igitur magis verisimile est, quam histriones occasionem sponte oblatam avidissime amplexos esse, ut spectantium aures tecta huius cultus significatione titillarent; nam Graecum vulgus omnibus temporibus, non Alexandrinorum demum aetate, qua litteratores umbratiles in his rebus ingenia exercuerunt, *αἰτίων* amantissimum erat. Etenim satis antiquo tempore hanc interpolationem in editionibus sancitam esse historiae fabularis compendia documento sunt, utpote quae nostrum prologum eo ordine, quo nunc legitur, non quinque tantum versus compilarint. — Nescio autem, an ad alium praeterea prologi locum Asclepiades se pararit narrans: *ὁ δὲ* (sc. *Θησεὺς*) *τριῶν ὥς φασιν αὐτῷ παρὰ τοῦ Ποσειδῶνος εὐχῶν οὐσῶν ὁμολογήσαντος* [3] *ὅτι ἂν εὔξηται συντελέσειν, πιστεύσας τῇ Φαίδρᾳ μίαν τούτων ᾐτήσατο παρ' αὐτοῦ τὸν τοῦ παιδὸς* [4] *ὄλεθρον.* Venus ita in prologo Euripideo v. 43 sq.:

καὶ τὸν μὲν ἡμῖν πολέμιον νεανίαν
κτενεῖ πατὴρ ἀραῖσιν, ἃς ὁ πόντιος
ἄναξ Ποσειδῶν ὤπασεν Θησεῖ γέρας,
μηδὲν μάταιον εἰς τρὶς εὔξασθαι θεῷ [5].

---

[1] Nemini sanationem bene cessisse non parvi pendo.

[2] Cf. Wilamowitz Philolog. Untersuch. I p. 170, qui ceteroquin eodem errore quo Jahn et Wheeler illigatus est in priore Hippolyto fontem interpolationis quaerens.

[3] *Οὐσῶν ὁμολογήσαντος* Buttmann pro *εἶναι ὡμολόγησεν.*

[4] *Παρ' αὐτοῦ τὸν τοῦ παιδὸς* Buttmann pro *παρὰ τοῦ παιδός.*

[5] Wheeler quidem (l. l. p. 48) etiam hos versus Euripidi abrogat; qui si recte iudicasset, alteram satis antiquam interpolationem teneremus. Sed argumenta validiora desidero.

Neque neglegenda, quae scholiasta eadem verborum constructione qua Asclepiades usus addit (v. 46): *ἐς τρίς: μίαν μὲν ᾐτήσατο ἀνελθεῖν ἐξ Ἅιδου, δευτέραν ἐκ λαβυρίνθου, τρίτην τοῦ Ἱππολύτου* [1]. Ipsam autem Hippolyti sollicitationem Asclepiades paucis absolvit: *εἰς Τροιζῆνα δὲ ὕστερον παραγενομένη* (sc. *Φαίδρα*) *διενοεῖτο πείθειν τὸν νεανίσκον ὅπως αὐτῇ μιγείη*, quod notatu dignum; quando omnes, quas recensebo, narratiunculae, etiamsi in nonnullis rebus evidenter servatam Hippolytum exprimunt, tamen ab artificiosa eius elegantia, qua nutrix Phaedram tecte volentem nolentem in perniciem rapit, in eo recedere solent, quod nutrice fere semper omissa Phaedram ipsam iuvenem adeuntem et, ut sibi sui copiam faciat, petentem fingunt. Quae est simplex genuinaque mythi forma, cui cum cothurno omnino nihil est commune. In his vero, quae deinde narrantur: *χαλεπῶς δ' ἐκείνου προσδεξαμένου τὸν λόγον λέγεται φοβηθεῖσαν* [2] *αὐτὴν ἀντιστρέψαι τὴν αἰτίαν κτλ.* ornamentum e tragoedia nostra sublatum prodit participium *φοβηθεῖσαν*. Etenim Diana de Phaedra calumniam molita dicit v. 1310: *ἡ δ' εἰς ἔλεγχον μὴ πέσῃ φοβουμένη κτλ.* [3], quo versu Asclepiadem abusum esse ideo firmissime assevero, quia reliquos compilatores praeter prologum item ad ipsum hunc locum, quo Diana res paucis revelat et comprehendit, se adstrinxisse demonstrari potest. Quod ad extremum de Phaedrae morte Asclepiades narrat: *τὴν δὲ Φαίδραν φανερᾶς γενομένης τῆς διαβολῆς ἀπάγξασθαι* (sc. *ὁμολογοῦσι*), id cothurni certe non est. Nam ut de altera Euripidis Phaedra taceam, prior ante moritur,

---

[1] Cod. M. et Fl. 15: *τῷ Ἱππολύτῳ.* — Excidisse videtur *ὄλεθρον* in fine.

[2] *Βοηθεῖσαν* cod.; corr. Barnes. Traditam lectionem Welcker (l. l. p. 395) defendit. Sed insolitae formae ne aptus quidem sensus subest; cf. Hiller l. l. p. 36.

[3] Prior Euripidis Phaedra — nam de Sophocle non amplius cogitabis — una ulciscendi cupiditate debuit rapi (cf. Welcker l. l. p. 478). Altera misere nutat inter diversos affectus, in qua re incommoda retractationis, quae pudentibus animis satisfactura erat, sub oculos cadunt. Modo enim liberorum rationibus prospicere vult v. 717, modo veretur in conspectum Thesei reverti v. 719 sq., modo v. 728 sq. Quae omnia Diana postea flocci facit et mulierem, quae multa erat in honorificae mortis consiliis, meri timoris coarguit.

quam Diana crimen manifestum facit. Eum autem, qui deam in scaenam non produceret, — quod fortasse Sophoclis erat — verisimile est Phaedram ipsam calumnias detegentem fecisse, ut Seneca docet[1]. Quod Asclepiades minime significat. Utut res se habet: hoc ipsum erat, quo maxime tragoediae differebant. Aut igitur compilator illud *ὁμολογοῦσι* ad unum *ἀπάγξασθαι* neglegentissime refert aut ad vulgarem potius in chrestomathiis fabulae formam, utpote quae altius affectuum discrimen omittat, respicit. — Neque minus a tragoedia alienum est, quod restat ornamentum commemoratu dignum: *εὐλαβούμενος* (sc. *Θησεύς*) *δὲ μητρυιᾶς ἐπιβουλὴν πέμπει ἐξ Ἀθηνῶν τὸν υἱὸν Ἱππόλυτον Τροιζηνίων ἄρχειν.* An credibile Theseum in uxorem suspiciosum ei postea filium stupri accusanti sine ulla dubitatione confisum esse, ut tragoediae ratio postulat? Ad summam igitur didicimus hunc centonem pannis undique neglegenter adsutis fartum ad qualemcunque tragoediam instaurandam nullius pretii esse.

Transeo ad Diodorum (IV, 62): qui sive ipse sive ille, quem describit, cum omnia ad historiae similitudinem revocare studeret, mirificas machinatus est machinas, quae tamen omnes in manifesta unius exemplaris depravatione deprehendi possunt. Initium narrationis evidenter ex Euripideo prologo depromptum est: *μικρὸν δ' ὕστερον Ἱππολύτου ἐπανελθόντος εἰς τὰς Ἀθήνας πρὸς τὰ μυστήρια, Φαίδρα διὰ τὸ κάλλος ἐρασθεῖσα αὐτοῦ τότε μὲν ἀπελθόντος εἰς Τροιζῆνα ἱδρύσατο ἱερὸν Ἀφροδίτης παρὰ τὴν ἀκρόπολιν, ὅθεν ἦν καθορᾶν τὴν Τροιζῆνα, ὕστερον δὲ παρὰ τῷ Πιτθεῖ μετὰ τοῦ Θησέως καταλύσασα ἠξίου τὸν Ἱππόλυτον μιγῆναι αὐτῇ.* Accuratius igitur quam Asclepiades describit templi dedicationem, plenius dat Euripidis v. 24 sq. antea commemorans Hippolytum Athenas ad mysteria visenda profectum esse; manifesto denique idem narrationis progressus est[2]. Atque haec omnia maxime premo; nam qui cum Wheelero (l. l. p. 46) contendunt Diodorum in his

---

[1] Commutati argumenti natura hoc vincit; quocirca cave, ne ob hanc rem Sophoclis fabulam poetae Romano inter manus fuisse concludas.

[2] Sicut Euripides (v. 11) Diodorus narrat Hippolytum Troezene educatum esse, sed *παρὰ τοῖς Αἴθρας ἀδελφοῖς*. Unde hoc habeat, ignoro.

Velatum expilasse. ii secum reputent, ad quantum ambitum interpolationem Coroniferi extendere debeant. Diodorus deinde Asclepiadi simillimus in eo est, quod nutrice omissa amoris confessionem paucissimis absolvit. Addit[1] Phaedram Athenas reversam esse, ut privignum apud Theseum calumniaretur. Scaenae translatio, quae tragoediae obstrepit, historicae verisimilitudini convenit. Nam Theseus rex deversatus ille paucis tantum diebus apud Pittheum — omittunt nimirum compilatores Pallantidarum necem — nonne Athenis imperii negotia recipere debet? Sed contorta narratio, quae sequitur, paullo altioris indaginis est: *Θησέως δὲ διστάζοντος περὶ τῆς διαβολῆς, καὶ τὸν Ἱππόλυτον μεταπεμπομένου πρὸς τὸν ἔλεγχον, Φαίδρα μὲν φοβηθεῖσα τὸν ἐξετασμὸν ἀνεκρέμασεν ἑαυτήν, Ἱππόλυτος δὲ ἁρματηλατῶν, ὡς ἤκουσε τὰ περὶ τῆς διαβολῆς, συνεχύθη τὴν ψυχήν, καὶ διὰ τοῦτο τῶν ἵππων ταραχθέντων κτλ.* — Considera modo circa hanc rem historico difficultatem omnem verti, quomodo Neptunum horridi monstri machinatorem et Hippolyti exsecrationem, ut quae mortem pragmaticae rationi repugnantem inferat, expungere possit. Itaque Theseus animi pendet[2] et res in eo est, ut Hippolytus arcessatur; tum Phaedra Hippolyti instantem defensionem verita, cui Theseus fortasse fidem habiturus sit, morte voluntaria rem conficit. At Hippolytus patri se purgans omnino non producitur, quia eum tum iam oportuit de novercae calumniis certiorem fieri, quae postea quasi *λύσσης* munere funguntur. Ex quibus omnibus tibi ne unam quidem tragoediae scaenam effingere contingat. Immo Diodoro eundem similemve archetypum atque Asclepiadi praesto fuisse, quem suo Marte historicae rationi accommodaret, vel inde apparet, quod apud utrumque ratio desideratur, qua *ἡ διαβολὴ φανερὰ γίγνεται.* Diodorus autem etiam accuratius altero describit Euripidis versum 1310 modo allatum in his: *Φαίδρα μὲν φοβηθεῖσα τὸν ἐξετασμόν* aptans eum quidem suo proposito[3].

---

[1] *Καὶ ἐπανελθοῦσαν εἰς τὰς 'Αθήνας εἰπεῖν* (sc. *φασί*) *τῷ Θησεῖ, διότι ἐπεβάλετο Ἱππόλυτος αὐτῇ μιγῆναι.*

[2] Hoc in ulla unquam tragoedia locum invenire potuisse antea negavi.

[3] Praeclarum affinitatis exemplum, quae Diodoro cum historia Asclepiadis nomine ornata intercedit, Schwartz (l. l. p. 452 sq.) attulit,

Cave autem, ne ex meris frustulis, quae compilator legit, tragoediam effictam esse concludas [1].

In Hygini brevissima narratione (f. 47) id maxime notatu dignum, quod criminosa Phaedrae epistula commemoratur: 'Phaedra Minois filia Thesei uxor Hippolytum privignum suum adamavit. Quem cum non potuisset ad suam perducere voluntatem, tabellas scriptas ad virum suum misit se ab Hippolyto compressam esse seque ipsa suspendio necavit'. Epistulam igitur morienti Phaedrae adnexam non novisse videtur, in eo videlicet a Graeco aliquo exemplari pendens, ut Plutarchi similis brevitas vincit Parall. 34a: *τῆς δὲ προαιρέσεως ἡ ἀσελγὴς ἀποτυχοῦσα ψευδεῖς κατὰ τοῦ σώφρονος ἐπιστολὰς ἐχάραξε καὶ βρόχῳ τὸ ζῆν ἀνήρτησε.* Coroniferi locum subesse puto, quo compilatores plus semel usos esse ostendi v. 1310 sq.:

ἣ δ' εἰς ἔλεγχον μὴ πέσῃ φοβουμένη
ψευδεῖς γραφὰς ἔγραψε καὶ διώλεσε
δόλοισι σὸν παῖδ' κτλ.

Hic igitur epistula item separatur a suspendio. Sed etiam ulterius progredi licet; nam ni fallor fabulator Romanus legit in derivato aliquo exemplari: *ἐπιστολὰς ἐπέστειλεν*, unde sibi finxit tabellas missas. Etenim 'quae morientes facienda praecipiunt, illa dicuntur eximie quidem *ἐπισκῆψαι*, sed et *ἐπιστεῖλαι*', ut Valckenaer (ad Eur. Hip. 858) exemplis nisus adnotavit. Accusatio autem re vera extremum morientis Phaedrae mandatum erat [2]. Neque id praetereundum, quod Hyginus expressis verbis dicit Theseum filium in exsilium eiecisse.

De Plutarchi illo Parallelo nihil certi affirmare licet. Tabellae nos servatae Hippolyti commonefaciunt; at scaena Athenis est, cum iuvenis spreto novercae amore hic per nutricem indicato Athenas linquat et Troezene venando otium terat. Stobaeo auctore, qui integram narrationis formam exhibet [3],

---

qui antea (p. 449) non minus evidenter Euripideo Phoenissarum prologo ad illustrandum Diodorum III, 64 usus erat.

[1] Cf. Wheeler l. l.: 'Sed minime quadrat in nostram fabulam Diodori narratio, aliqua ex parte certe in ea, quae de Velato scimus'.

[2] Cf. Eur. Hip. 858 sq., ubi Theseus haec:

ἀλλ' ἦ λέχους μοι καὶ τέκνων ἐπιστολὰς
ἔγραψεν ἡ δύστηνος ἐξαιτουμένη;

[3] Flor. 64. 38; laudat Zopyrum *ἐν γ' Θησηίδος*. Lobeck Aglaoph.

Theseus Thebis revertitur, quod nullo praeterea testimonio firmatur; nam ab Euripide (Hip. 792) *θεωρός* tantum vocatur. Iuvenis exitium ita narratur, quasi ei Neptunus sponte ac fortuito curru invehenti monstrum immiserit, quae ratio in his historiolis tralaticia a tragoedia aliena est [1].

Hinc ad Servium et inferioris aetatis commenta descendamus; ille enim (ad Verg. Aen. VI, 445) nova ratione fabulam detorquet ad historicae speciem *πραγματείας* pro Neptuno Aegeum patrem substituens, qui ab irato filio invocatus Hippolyto currus agitanti phocam immittat. Alter mythographus Vaticanus (f. 128) Servium describens addit, quod ad intellegendum apprime necessarium est, Aegeum tunc marinum deum fuisse [2]. Cum igitur monstruosus ille bos marinus veri simili-

---

p. 358 ratus est ad idem opus respicere Suidam s. v. *ψιθυριστῇ* ex Zopyro narrantem Theseum de Phaedrae in Hippolytum calumniis certiorem factum Mercurio *ψιθυριστῇ* et Amori et Veneri templum dedicasse. — De aliis eiusdem nominis scriptoribus cf. Jahn Arch. Beitr. p. 272 (41), Müller F. H. G. IV p. 533. — Sed Zopyrum illum, dum firmioribus testimoniis eius auctoritas fulciatur, missum faciamus, quanquam cum Wyttenbachio (Vol. II P. 1 p. 78) opiner non omnes historiolas neque omnes auctores in hoc libello confictos esse; quod etiam Rohde Gr. Rom. p. 41 (8) contendit. Nam accurata singulorum parallelorum examinatio adhuc desideratur; quam Hercher, qui impudentem falsarium libelli de Fluviis semel profligavit, non praestitit. — At minime refrager, si quis Alexandrinae poesis rivulum in nostram fabellam influxisse contendat; quo pertinet Phaedrae mors propter Amoris impatientiam (cf. Stobaeus l. l.); idem de Byblide narrant Conon narr. II, Ant. Liber. XXX. — Falsarius autem nostram fabulam repetivit d. Fluv. III, 1; cf. Hercher Plut. lib. d. Fluv. p. 28 sq.

[1] Stobaeus (l. l.): *ἑαριζομένου δὲ τοῦ Ἱππολύτου παρὰ τὸν αἰγιαλὸν τῆς θαλάσσης ταῦρος ἐπιφανεὶς ἐπτοίησε τοὺς ἵππους κτλ.* — Interpretes conticuere omnes, quanquam *ἑαριζομένου* aperte mendosum est. Epitomator praebet *ἐπὶ ἅρματος τυχόντι ταῦρον ἔπεμψε,* alia igitur legit. Usitatum autem verbum, quod et sensum epitomae et signa codicum plene et perfecte reddat, haud expiscaberis. Cave, ne de biiugis cogites; nam Hippolytus quadrigarius est secundum lapicidarum pictorum poetarum (Eur. Hip. 1212. 1229. Hygin. f. 250) constantem usum. Quocirca Buecheler suspicatur elegantis sermonis affectatorem scripsisse *ἑωριζομένου* sive *αἰωριζομένου*; sequuntur enim *ἵπποι* et *ἅρμα,* ut satis intellegatur curru tanquam volans pendensque.

[2] Cf. Naeke de Call. Hec. p. 80. — Brevior est altera Servii

tudinem excedere videretur, commenti sunt vitulum marinum, cui Plinio auctore (nat. hist. IX, 41) 'in sono mugitus, unde nomen vituli'[1]. Quod cecidit in monstrum mugiens[2]. At quod Servius tradit subito interempto Hippolyto Phaedram amoris impatientia laqueo vitam finivisse, ne propter seram novercae mortem de singulari fabulae forma cum Hippolyto Velato fortasse congruente cogites, Stobaeus (l. l.) monet eadem ratione mortem, quam Phaedra statim post calumnias sibi consciverit, explicans (cf. Hygin. f. 243). Talia variantis compilatoris sunt. Denique nescio an in commentario Persii (VI, 56): 'et ne Hippolytus patri suo narraret, eum noverca verso crimine ultro apud Theseum maritum accusavit; quo agnito Hippolytus fugit et dum curru in litore exercetur, petiit a Neptuno Theseus' e. q. s. Diodori commentum interluceat, qui ita de casto iuvene (l. l.): ὡς ἤκουσε τὰ περὶ τῆς διαβολῆς, συνεχύθη τὴν ψυχήν, quod quidem, si historicum audis, heroi etiam mortem attulit. Scholiasta autem Diodoro se applicat in eo quoque, quod Phaedra privignum propter pulchritudinem amat[3], non Veneris impulsu. — In infimum locum detrudenda Tzetzis narratio (Schol. Lyc. 1329 cf. 610), quia manifesto e Coronifero male consarcinata est, cui item Eustathius (Hom. λ. 320) se applicat[4].

Ad extremum nolo silentio praetermittere Aristophanis Byzantii argumentum fabulae Euripideae, quanquam ille perbene eleganterque paucis summam fabulae comprehendit, nullis et ne recentioribus quidem compilatoribus inter manus fuisse. Immo quod unum grammaticus neglegenter ponit: Phaedram

---

narratio (Verg. Aen. VII, 761) alioquin eidem tanquam calopodio aptata. Praeter alterum mythographus Vaticanus prior (f. 46) a Servio pendet.

[1] Immane quid phocis inesse putabant; cf. Ovid. Her. X, 87. Met. I, 300, Verg. Georg. IV, 395. Scholiastae autem Persii (l. l.) una phoca non sufficit: 'Petiit a Neptuno Theseus, ut ei phocas, id est vitulos marinos immitteret'.

[2] Cf. Eur. Hip. 1201 sq. Sen. Phaedra 1026 sq.

[3] Idem exhibet Schol. Platon. Leg. 931 B, quae brevissima narratio ceteroqui nihil memorabile continet.

[4] Sciens praetermisi monstrum narrationis, quod Cephalion commentus est auctore Malala (Chron. p. 88 ed. Bon. Müller F. H. G. III p. 630) et similia Georgii Cedreni somnia (ed. Bon. I p. 215).

Troezene demum privignum conspexisse et amore exarsisse[1], in ea re Asclepiadem, qui dicitur, et Diodorum diligentius ipso Euripideo prologo usos esse cognovimus.

Satis superque sudavi, ut certe derisui futurus essem Plutarcho obicienti: *Τὰς δὲ περὶ ταύτην* (sc. *Φαίδραν*) *καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ δυστυχίας, ἐπεὶ μηδὲν ἀντιπίπτει παρὰ τῶν ἱστορικῶν τοῖς τραγικοῖς, οὕτως ἔχειν θετέον, ὡς ἐκεῖνοι πεποιήκασιν ἅπαντες* (Thes. c. XXVIII). Sed do veniam; nam a nobis aliquantulo plus flagitatur, quam quo antiqui litteratores contenti erant.

II.

Ad maiora accingor. Nam palma iis deroganda erit, qui satis habuerint ex vilibus nostrae fabulae historiolis colligere, quae ad cothurnum Euripideum pertineant. Immo in profundo veritas demersa. Itaque ad Alexandrinam artem, quippe quae Graeco et Romano cothurno mediam se interponat, progredior tantum praefatus in obscuris his regionibus circuitione et anfractu saepenumero opus esse, cum carminibus ipsis temporum invidia raro pepercerit, fragmenta paucissima restent, recentes compilatores libere sibi indulserint. Proximum autem est, ut pauca ipsius Hippolyteae fabulae vestigia, quae apud Alexandrinos lateant, examinentur. Exordior igitur ab Ovidio aemulatore Alexandrinorum, qui Met. XV, 492 sq. Virbium Theseium heroem, quem dicit, fata sua Egeriae nymphae narrantem inducit, quomodo noverca ipsum pessum dederit, Diana autem

[1] Idem Troezenios narrare Pausanias (I, 22. 2) cum gravitate quadam affirmat, ut putarim auctorem ab illo descriptum hoc expressis verbis Euripideae narrationi, quam Pausanias paullo ante (I, 22. 1 *ὅ τε ἔρως τῆς Φαίδρας καὶ τῆς τροφοῦ τὸ ἐς τὴν διακονίαν τόλμημα*) manifesto ante oculos habebat, opposuisse. — At si Aristophani confisus de interpolatione in Euripideo prologo cogitas, fere dimidiam prologi partem expungere debes.

ab Aesculapio in vitam revocatum in valle Aricina collocarit et cultu ornarit. Cuius cultus singularia Metamorphoseon carmini parum convenientia poeta quasi supplet Fast. III, 259 sq., ubi Egeriam nympham adlocutus de valle Aricina haec profert v. 265:

hic latet Hippolytus furiis direptus equorum,
unde nemus nullis illud aditur equis.

Idem perhibet Vergilius (Aen. VII, 778 sq.), quem Servius sic commentatur: 'exponit τὸ αἴτιον: nam Callimachus scripsit αἴτια, in quibus etiam hoc commemorat' [1]. Memineris autem reconditum aetion, cur nullus canis Delum accedat, praeter Callimachum (frg. 9 Schn.) Ovidium quoque attigisse (Ib. 475 sq.) et mecum exquiras, num illi Metamorphoseon loco insint, quae Battiadae artem, quam Nasonem saepius sectatum esse constat, spirent. Nimirum quod Ovidius de nominis mutatione tradit v. 542 sq.:

nomenque simul, quod possit equorum
admonuisse, iubet deponere, 'qui' que 'fuisti
Hippolytus', dixit 'nunc idem Virbius esto',

admonefacit nos Hippolyti furiis equorum direpti, quo illud aetion explicatur. Artificiosa autem antithesis nominum, quae aperte veriloquium significat, interpretes fugit. Nam syllabis 'lytus' et 'bius' mors et vita (βίος) inter se opponuntur; quo tendit Lactantii illud (Ov. Met. XV f. 45): 'a converso itaque nomine deus Virbius est appellatus' et Vergilius l. l. v. 777: 'versoque ubi nomine Virbius esset'. Debemus igitur, ni fallor, subauscultare ἡρώβιον, cuius veriloquii testimonium exstat [2].

---

[1] Frg. 7 Schn. In indagando loco, quem hoc fragmentum tenere potuerit, multum laboris viri docti consumpserunt. Schneider (Call. II p. 72 sq.) et Herzberg (Zeitschrift für Alterthwiss. 1847 p. 133) in primo aetiorum libro aptum locum invenisse sibi visi sunt; contra Rauch (Frg. d. Call. p. 28) in altero. Apud utrosque firma argumenta desiderabis, nam incerta incertis nituntur. Donec felicius, quam Schneidero contigit, et uberius, quam Rauchio licuit, constitutum erit, quid quoque libro tractatum sit, melius duco coniectandi cupiditatem reprimere.

[2] Altera Virbii derivatione a 'bis vir', quam vix Graeco exemplari adaptes, subaudita nomina non tam artificiose inter se opponuntur. — Quattuor autem proferunt nominis causas: esse virum bis factum aut virum bonum aut herobium tanquam ἥρωα ἀναβεβιωκότα aut deum, qui Viribus praesit; cf. Cassiod. de orthogr. p. 81 K. Buecheler Rh. Mus. XXXV p. 69.

Qualibus argutiis epigrammatice eleganterque exacuendis Alexandrinorum Musam ludibundam prae ceteris favisse quis nescit? Commenticias autem nominum originationes, quibus Graeci poetae inde ab Euripide delectabantur, Callimachus inprimis carminibus pro doctis ornamentis inseruisse videtur; talia sunt: *Ἑκάλη ἡ πρὸς ἑαυτὴν πάντας καλοῦσα*, *Ἀχιλλεὺς ἀπὸ τοῦ ἄχος εἶναι Ἰλιεῦσιν* e. a. [1]. Sed plus valet, quod Dilthey (l. l. p. 41 sq.) in Ovidiana, quae dicitur, epistula XXI, 209 sq. Alexandrinum Acontii nominis veriloquium tecte significatum esse ingeniose cognovit. Denique *μετονομασίας* exemplum dignum, quod cum Ovidii loco componatur, in Callimachi reliquiis exstat frg. 213 (Schn.): *ἀντὶ γὰρ ἐκλήθης Ἴμβρασε Παρθενίου*. At ne mireris Nasonem in ipso Hippolyti interitu illustrando cum quadam voluptate immorari, Lucianum cito, qui de conscr. hist. 57 laudatae Homeri castitati haec opponit: *εἰ δὲ Παρθένιος ἢ Εὐφορίων ἢ Καλλίμαχος ἔλεγε, πόσοις ἂν οἴει ἔπεσι τὸ ὕδωρ ἄχρι πρὸς τὸ χεῖλος τοῦ Ταντάλου ἤγαγεν; εἶτα πόσοις ἂν Ἰξίονα ἐκύλισε* [2]; Nimirum Alexandrini horrendam monstruosamque rerum atrocitatem usque ad luxuriam subtiliter exornabant et amplificabant. Euripidem vero ei inter manus fuisse, quicunque Hippolyti interitum descripturus esset, consentaneum est. Itaque similitudo intercedit inter Ov. 508 sq. et Eur. Hip. 1210 sq., inter Ov. 520 et Eur. 1222. Sed nonnulla poeta Romanus aliter instituit: monstrum marinum mare omnino non linquit; ideo, ni fallor, quia hoc cum rerum verisimilitudine pugnaret. Secus Eur. 1228 sq., Sen. 1077 sq. [3]. Bovis habitum Naso ita describit v. 512: ʻpectoribusque tenus

---

[1] Cf. Dilthey d. Call. Cyd. p. 37 sq. — Nescio autem an Battiaden etiam haec redoleant: *Θησεὺς ὠνομάσθη διὰ τὴν τῶν γνωρισμάτων θέσιν τοῦ τε ξίφους καὶ τῶν πεδίλων* (Etym. Magn. s. v. cf. Plutarch. Thes. IV), quia cecinit frg. 66:

Ἐν μὲν γὰρ Τροιζῆνι κολουραίῃ ὑπὸ πέτρῃ
θῆκε σὺν ἀρπίδεσσι.

[2] Cf. Dilthey l. l. p. 22. Naeke Call. Hec. p. 9 sq. — Knaack (Analecta Alexandr. Rom. p. 21) Poenae foedam descriptionem iure Callimacho vindicavit.

[3] Lapsus ipse apud Ovidium v. 523 stipitis, apud Euripidem v. 1233 lapidis occursu adducitur. Seneca rem alio modo exornavit v. 1082; de quo postea.

molles erectus in auras', quod notatu dignum; quia fieri quidem potuit, ut imaginis recordatio poetam ad hanc fictionem impelleret, quod in Alexandrina poesi haud semel factum esse constat. Nam simili modo e mari emergens ille bos pictus est in repraesentatione mortis Hippolyti in vase Apulo Londini asservato [1], quod praeterea ostendit equorum *λύσσαν* humana specie indutam; unde facile equorum furiae repeti possunt, a quibus Ovidius (Fast. III, 265) heroem nostrum direptum fingit. Tacitus autem quidam sensus suadet, ut etiam in Hippolyti verbis Ov. 514 sq.: 'mihi mens interrita mansit, Exsiliis contenta suis' Alexandrinum auctorem animi affectum depingentem agnoscam. Potuit quidem iam tragicum exemplar simili ornamento locum dare, cum Seneca v. 1054 narret Hippolytum solum immunem metu fuisse. In servata Graeca fabula talia desunt [2]. Ipsam denique fabulam: novercae amorem filii virtutem, poeta Romanus in perangustum paucorum versuum (500 sq.) ambitum coartavit subtili fere et cogitatae brevitati studens; neque in eo ab exemplari recedens, siquidem poetam Cyrenensem notum est in fabularum popularium illustratione brevitatis suum praeceptum quam maxime observasse [3]. Itaque verisimillimum est ex eodem similive Alexandrino fonte Philostratum hausisse fabulam his breviter comprehendentem (Sen. Imag. II, 4): *μητρυιὰ γὰρ Φαίδρα ξυνθεῖσα λόγον ἐπ' αὐτῷ οὐκ ὄντα, ὡς δὴ ἐρῷτο ὑπὸ τοῦ Ἱππολύτου — αὐτὴ δὲ ἄρα τοῦ μειρακίου ἤρα — ἀπατᾶται ὁ Θησεὺς τῷ*

---

[1] Cf. Körte: Personif. psych. Affect. i. d. Vas. Mal. p. 36 sq. In memoriam revoces Antiphilum, qui primi Ptolemaei fere temporibus Alexandriae floruit Brunnii iudicio (Künstlergesch. II p. 249 sq.) pinxisse 'Hippolytum tauro emisso expavescentem', ut Plinius (Nat. Hist. XXXV 114) testatur. — Brunn de hac pictura disputans perperam ad Philostratum (Sen. Imag. II, 4) provocavit l. l., Fleckeis. Suppl. IV p. 218; cf. Friederichs d. Philostrat. Bild. p. 73 Fleckeis. Suppl. V p. 161.

[2] Ex Callimachi fragmentis ad hanc Hippolyti mortis descriptionem referri possit frg. anon. 136 (Schn. II p. 738): *ὦρτ' ἐν μὲν μέγα κῦμα.*

[3] Cf. Dilthey l. l. p. 24 sq. — Sic in Hecale poeta Scyllae fabulam fortasse paucis absolvit (cf. Naeke l. l. p. 62) et Ovidius fabulam de Minotauro et Ariadna paucis enarrans (Met. VIII, 171 sq.) potuit Callimachi exemplum sequi (cf. Rauch l. l. p. 54).

λόγῳ καὶ καταρᾶται τοῦ παιδὸς τὰ δρώμενα. Attende modo Ovidium eadem ratione rem absolvere, ut a falsa criminatione incipiat v. 500 et amoris commemorationem sermonis continuationi mediam demum interponat. Accedit denique, quod Hippolytus ipse fata sua narrans inducitur: hae Battiadae deliciae.

Num haec omnia parvi existimas ad confirmandam meam conclusionem Ovidium Callimacho se adstrinxisse, ad cuius exemplar aetion illud ultro nos deduxit? Neque igitur praetermittendum Hippolytum profugo curru Troezena petere v. 506, ut quod Velati Hippolyti sit, cuius scaenam Athenis fuisse evici. Eodem pertinet, quod Phaedra repulsam aegre ferens[1] privignum criminis defert v. 503: 'indiciine metu magis offensane repulsae?' Metum quidem in alteram tantum Phaedram cadere et vulgari interpretationi convenire identidem monui. Totum autem locum Alexandrinam artem spirare postea elucebit.

Paucis deinde necesse est tangam alterum Fastorum locum (VI, 735 sq.), quo Ovidius a Serpentarii signo exorsus paullo plura de Hippolyto Aesculapii auxilio reviviscente et de divini medici fatis[2] narrat. Poeta Romanus procul dubio Eratosthenem praesto habuit (cf. Robert Eratosth. Catast. p. 29). Hic enim narrat (Cat. VI. Rob. p. 68) deos iratos fuisse, quod Aesculapius hominum vitas ultra fata protendens debita sibi iura debilitasset: *καὶ τῶν θεῶν δυσχερῶς τοῦτο φερόντων, εἰ αἱ τιμαὶ καταλυθήσονται αὐτῶν τηλικαῦτα ἔργα Ἀσκληπιοῦ ἐπιτελοῦντος*, quae quomodo intellegi debeant Ovidius docet v. 757:

> at Clymenus Clothoque dolent, haec, fila reneri,
> hic, fieri regni iura minora sui.

Apollo autem luget filium fulmine percussum v. 761:

> Phoebe, querebaris. Deus est, placare parenti:
> propter te, fieri quod vetat, ipse facit.

---

[1] In retractata fabula res ne eo quidem adducitur, ut Phaedra ulli repulsae periculo se exponat, ut Welcker (l. l. p. 402) monuit; qui inde perperam conclusit Nasoni Sophoclis Phaedram inter manus fuisse.

[2] Alexandrinos mirabilibus morborum curationibus depingendis lubentissime institisse probant Nonni imitationes Dionys. XVII, 357 sq. XXV, 538 sq. XXXV, 60 sq.

Eratosthenes pergit.: λέγεται τὸν Δία ὀργισθέντα κεραυνοβολῆσαι τὴν οἰκίαν αὐτοῦ[1], εἶτα διὰ τὸν Ἀπόλλωνα τοῦτον εἰς τ᾽ ἄστρα ἀναγαγεῖν. Altero igitur loco Ovidii narratio uberior est, quo Roberti coniectura (l. l. p. 35) firmatur Ovidium ipsis catalogis usum esse. Accedit, quod hic v. 749 sq. refert Hippolytum iis graminibus sanatum esse, quae Glauci manibus prius profuissent[2]. Catasterismi ita: ὡς καὶ τοὺς ἤδη τεθνηκότας ἐγείρειν, ἐν οἷς καὶ ἔσχατον Ἱππόλυτον τὸν Θησέως. Quid si genuinum opus plures ante Hippolytum in vitam revocatos enumeraverat? Propertius enim nominat etiam Androgeona, quem deus Epidaurius Cressis herbis patriis focis restituerit (II, 1. 61 sq.); cuius rei nullum praeterea testimonium exstat[3].

Vergilius denique, quem Callimacheum aetion tangere supra vidimus, Hippolyti filium Virbium Turno belli socium profectum esse canens (Aen. VII, 761 sq.) paucis patris fata absolvit.

---

[1] Idem narrant Hyginus Poet. Astron. II, 14. Schol. Germ. G. 120, 20. Naso deum ipsum fulminatum esse perhibens in hac una re ab Eratosthene deflectit; item Schol. Germ. BP. p. 62, 13.

[2] Distichon 751—52 subditicium duco; idem rati sunt Heinsius, Schrader emend. p. 191. Cf. Peter ed. adn. crit. p. 89. Unusquisque, qui versum 750 legerit, putabit poetam de Aesculapii ope loqui. Nonne mirificum commentum est deum non sua sed Polyidi gramina e cista depromere? Pessimi autem ipsi versus sunt, qui sic in codicibus leguntur:

tunc cum observatas augur descendit in herbas,
usus et auxilio est anguis ab angue dato.

Omnia redolent poeticae dictionis inscium auctorem. Primi versus metrum durum; neque placet: 'tunc cum'; minus etiam, quod recentioris aetatis neque omnino poeticum est: 'descendit in herbas'. Anguis denique mortuus, cui alter opitulatur, dicitur uti auxilio! Hanc quidem unam offensam Merkelii coniectura removit, reliquas potius augens:

tunc cum observatas anguis descendit in umbras,
usus et auxilio augur ab angue dato.

[3] Glaucum ab Aesculapio in vitam revocatum esse testatur Melesagoras (Apollod. III, 10. 3. Schol. Eur. Alc. 1; cf. Robert l. l. p. 233). Alii alios laudant; cf. Schol. Pind. Pyth. III, 96. Philod. π. εὐσ. 131 p. 52 G. Sextus Empir. adv. math. I, 12 p. 271 Fabr. Aeneas Gazaeus p. 71 Boiss. Schol. Eur. Alc. l. l. Apollod. l. l. — Hyginus quidem (l. l.) Glaucum Aesculapii opera revixisse non ex Eratosthene narrat; laudat 'nonnullos', qui hoc rettulerint. Cf. Robert l. l. p. 232 sq.

Callimachum ipsum ei ad manus fuisse nolim existimare propterea, quod fuse poenam commemorat (v. 770 sq.), qua Iupiter Aesculapium afficit; tritum iam inde ab antiquis temporibus ornamentum, quale Battiades silentio praeterire solebat. Neque probabile est Vergilii commentatorem ipsum Callimachum compilasse. At Varronis aetia quater laudat (cf. Mercklin Philol. III p. 272 sq.); semel sic (Aen. I, 408): 'cuius rei *τὸ αἴτιον* i. e. causam Varro Callimachum secutus exposuit'. In commentario autem ad nostrum locum Varronianam doctrinam fortasse sapit Virbii nominis a 'bis vir' derivatio atque etiam magis, quod Virbius numen coniunctum Dianae vocatur (idem ad Aen. VI, 14); nam Varronis testimonia de deorum generibus et indole Servius non semel tantum commentariis inseruit (cf. Merkel Prol. p. CLXXXV). Apud Ovidium vero Hippolytus de se praedicat Met. XV, 545 sq.:

hoc nemus inde colo, de disque minoribus unus
numine sub dominae lateo atque accenseor illi.

Unde pronum est colligere Ovidio praeter Callimachum Varronem in promptu fuisse. Nimirum idem antiquitatum peritissimus scriptor subsidia suggerere potuit alteri Fastorum loco (III, 261 sq.) exornando, quo poeta in vallis Aricinae sacris institutis illustrandis immoratur.

Iam vero quaerere oportet, num in aliis fabulis lateant, quae ad nostrae exemplar ab Euripide propositum conformata sint. In qua quaestione Ovidius Alexandrinorum assecla rursus aptissime viam patefaciet, qua tute ad paucas ipsius Alexandrinae poesis reliquias progredi possimus. Nam Byblidos Myrrhaeque fabulis a poeta Romano fuse tractatis manifesta indicia inesse contendo, quae memoriam Euripideae Musae, qualem Alexandrini in deliciis habuerint, nobis afferant. Ea igitur subtilius consectemur, quae Ovidianae Byblidos descriptioni (Met. IX, 447 sq.) cum Phaedra Senecae, quem quadamtenus in Euripidis locum succedere posse probavi, vel cum ipsis Euripidis fabulis conveniant.

Narrat Ovidius, quomodo Byblis intima cum Cauno versandi consuetudine patefaciat aestuare se intus v. 466 sq.:

iam dominum appellat, iam nomina sanguinis odit,
Byblida iam mavult quam se vocet ille sororem

(cf. v. 531). Eodem sensu Phaedra abhorret a fatali matris nomine

(Sen. v. 609) et artificiose praetervehitur sanguinis offensam famulam se vocari malle effata. Ovidiana puella mittit epistulam, repulsam fert; iam ipsa amatum fratrem adire conatur, nam se non posse nihil commisisse nefandum neque innoxiam dici, temeratam esse voluntatem (v. 626 sq., cf. v. 618 sq.). Similis cogitatio novercam subit, ubi post nutricis repulsam in eo est, ut ipsa filium blando alloquio prosequatur Sen. v. 594 sq.: 'magna pars sceleris mei Olim peracta est; serus est nobis pudor: Amavimus nefanda'. Eandem deinde fluctuationem ante incestum committendum, quam Seneca Phaedrae v. 637, Ovidius Milesiae puellae affingit v. 631. Byblis autem se ipsa accusat, quod non recta via ad fratrem contenderit, sed epistulae vota crediderit; quia plura loqui potuisset, quam quae tabellae cepissent. Addit v. 605 sq.:

invito potui circumdare bracchia collo
et, si reicerer, potui moritura videri
amplectique pedes adfusaque poscere vitam.

Quae Milesia puella comminiscitur, iisdem blandis illecebris Cressa mulier fungitur in ea Romanae tragoediae scaena, quam prae ceteris Graeco poeta dignam duxi. Nam excidit sibi v. 590 et color morti similis ora obducit v. 586, privigni genibus advolvitur v. 667. 703, adeo bracchiis eum amplectitur v. 705 (cf. supra p. 35). Adfusa autem non vitam, sed mortem poscit v. 710 sq., quippe cui omnis spes frustra sit. Perinsigne etiam id, quod Byblis dicit v. 511 sq.:

si tamen ipse meo captus prior esset amore,
forsitan illius possem indulgere furori.

Nam quo alio sensu Phaedra et nutrix fascinationibus operam navant, nisi ut amatus iuvenis prior capiatur? Atque adeo in Coronifero similem vetitam spem Phaedram furtim concipere ostendi (p. 20 sq.). Ceterum in pugna contra amorem describenda et Ovidius et Euripides multi sunt. Et Byblis in inconstantia desideria abripitur: 'quo feror' v. 510 'quo labor' v. 521, et Phaedra, moderatior illa quidem (cf. Sen. 112 sq., Eur. 239 sq.).

Ipsa autem Byblidos epistula apertam similitudinem prae se fert cum quarta epistula Heroide. Utramque heroinam pudor impedit, quominus colloquio fateantur, quid votis expetant; confugiunt ad litteras (Met. 515 sq., Her. 9 sq.). Sed primo dubitant scribere (M. 523, H. 13); ab eadem sententia deinde ordiuntur

(M. 530 sq., H. 1 sq.). Prorsus denique in eo concinunt, quod cognato nomine furta tegere suadent, ut hoc praetexto amplexus dent et oscula iungant (M. 558 sq., H. 137 sq.). Notum quidem est Ovidium tantum sui ingenii amatorem fuisse, ut totos locos ex altero in alterum carmen transferret (cf. Leo l. l. p. 169). Sed cave, ne captiosae isti probabilitati nimium tribuas. Nam quod Byblis scribit v. 551 sq.:

iura senes norint et quid liceatque nefasque
fasque sit inquirant legumque examina servent:
conveniens Venus est annis temeraria nostris;

id melius, quam Ovidii Phaedra v. 154: 'quid deceat, non videt ullus amans', prior Euripidis Phaedra illustrat frg. 436: *ἔγωγε φημὶ καὶ νόμον γε μὴ σέβειν κτλ.* (cf. frg. 433), cui Senecae Phaedra nihil cedit nutrici disputanti, quid fas sit ac deceat, respondens v. 218: 'amoris in me maximum regnum puto'. Eadem in ipsa prima Hippolyti compellatione deos invocat v. 604: 'vos testor omnes caelites, hoc quod volo' — suppleas: me nolle, quod etiam nonnulli codices praebent. Neque Milesia puella deos non testatur omniaque se fecisse scribit, ut tandem sanior esset v. 541 sq.[1]; subiungit v. 543:

pugnavique diu violenta Cupidinis arma
effugere infelix, et plus, quam ferre puellam
posse putes, ego dura tuli e. q. s.

Quam quidem pugnam item Ovidii Phaedra obiter tangit v. 151; sed multa est in ea depingenda Euripidis altera Phaedra v. 388 sq. — Hic autem paullulum subsistamus. Nam Alexandrinam artem apud Nasonem passim delitescere qui nondum sensit, conferat cum versibus modo laudatis Parthenium erot. 11: *οἱ δὲ πλείους τὴν Βυβλίδα φασὶν ἐρασθεῖσαν τοῦ Καύνου λόγους αὐτῷ προσφέρειν*[2] *καὶ δεῖσθαι μὴ περιιδεῖν αὐτὴν εἰς πᾶν*

[1] Byblis precibus suis quasi fastigium imponit verbis v. 561: 'miserere fatentis amorem'; eadem summa novercalis obsecrationis in priore Hippolyto fuit (cf. supra p. 35).

[2] Verba *λόγον* vel *λόγους προσφέρειν* vel *προσπέμπειν* proprie adhibentur in amoris significatione sive ab ipso amatore sive per alteram personam facta; cf. Arg. Eur. Hip., Parthen. 17, Anton. Liber. 34, Apollod. II, 3. 2 III, 13. 3, Xenoph. Ephes. III, 12 IV, 5, Long. Past. III, 26. — Lucian. deor. dial. VI, 2: Ganymedes amatorculus primo nugatur tantum cum Iunone; postremo etiam audet *λόγους προσφέρειν*. Sed ante Alexandrinum tempus exemplum non inveni.

κακὸν προελθοῦσαν[1]. Admodum credibile est unum vel alterum horum scriptorum eodem modo, quo Ovidius, Byblida per epistulam celata desideria fatentem finxisse; quae certe est vitae et consuetudini accommodata ratio adeundi in incesto amore nutricis partibus omissis. Sed alterum certum Alexandrini exemplaris indicium, ut Knaack l. l. probavit, exstat, si Byblis ad Iovis Iunonisque matrimonium provocat, quo incestum excuset v. 497 sq.; cum Nonnus (Dionys. XIII, 550 sq.) narret Caunum Byblidos amore flagrantem hoc exemplum laudasse. Quod in ipsam hanc fabulam egregie quadrare in aprico est; quamobrem, si eodem Ovidii Phaedra utitur v. 133 sq., unusquisque mecum concludet hoc ornamentum ex Byblidos fabula ad Phaedram translatum esse. Potuerunt alia praeterea transferri; sed interim certiora sequamur. Vidimus Ovidianae Byblidi in multis rebus convenire cum tragicis Phaedris; vidimus insuper poetam Romanum, ut solet, Alexandrinorum vestigiis insistere[2], quorum οἱ πλείους Byblida incesti desiderii cruciatibus ad desperationem usque angi faciebant, quod probabile est secundum Parthenii verba εἰς πᾶν κακὸν προελθοῦσαν[3]; in qua diversorum affectuum conflictatione depingenda et Euripides et Ovidius immorantur: iam, cum omnis quae inter poetam Romanum et tragicum intercedat similitudo admodum evanida minimeque eiusmodi sit, ut sequatur illi hunc inter manus fuisse, nonne verisimilius est iam Alexandrinos poetas carminibus suis Musam Euripideam adspirare iussisse? Quod ubi similia in aliis fabulis accidisse cognoveris, etiam confidentius mihi largieris. — Interim hunc locum aliqua ex parte exornare licet. Heliodorum enim in historiola de Cnemone et Demaeneta (Aethiop. I, 9 sq.) Hippolyti fabulam exprimere ipsius verba indicant (cf. Rohde l. l. p. 458. 5.). Sed speciosos nonnullos in descriptione in-

[1] Knaack l. l. p. 62 sq. primus ad hanc similitudinem animum advertit nimis artificiose quidem versus Ov. 511 sq., de quibus supra disputavi, interpretatus.

[2] Ipsam rationem, qua Ovidius fabulam exornat, utique Alexandrinam artem spirare alio loco demonstrabo.

[3] Eroticos scriptores hos animi amantis cruciatus lubentissime depingere postea elucebit. Paraphrasta ornamenta recidit; quando ipse in prooemio satis diserte testatur τὸ μὴ παρεῖναι τὸ περιττόν in exemplis proferendis.

gravescentis novercae desiderii colores reperies in Byblidos fabula. Cnemon enim de noverca haec narrat: *καί ποτε καὶ ἐφίλησεν ἂν προσελθοῦσα καὶ ὄνασθαί μου συνεχῶς ηὔξατο.* Mox *καὶ θερμότερα ἦν τὰ φιλήματα τοῦ πρέποντος.* Quid Byblis?

> Illa quidem primo nullos intellegit ignes,
> nec peccare putat, quod saepius oscula iungat,
> quod sua fraterno circumdet bracchia collo.

Ov. 457 sq. — Demaenete ut Byblis v. 466 sq. variis invocationibus indulget: *νῦν μὲν παιδίον νῦν δὲ γλυκύτατον ὀνομάζουσα, καὶ αὖθις κληρονόμον καὶ μετ' ὀλίγον ψυχὴν ἑαυτῆς ἀποκαλοῦσα κτλ.* Praeterea illud *κληρονόμον* in memoriam nobis redigit Ovidianam Phaedram v. 163 sq.:

> est mihi dotalis tellus Iovis insula, Crete;
> serviat Hippolyto regia tota meo.

Cave, ne malevolus gaudeas, si similia forsan in aliis fabulis inveneris; testimoniorum mutuum consensum premo. Subtiliora autem haec ornamenta Alexandrinae arti propria esse, licet extremum illud iam in Graeca scaena locum invenerit, ut antea docui (p. 34), neminem fugit. Unde item repetenda Byblidos scribere volentis descriptio, ut quae ad picturae exemplar delineata esse videatur v. 522 sq.: 'dextra tenet ferrum, vacuam tenet altera ceram, Incipit et dubitat' e. q. s. Conferri possunt picturae Pompeianae (Helb. no. 1422 sq.) et Choricii Gazaei ecphrasis, quae amplam Hippolyteae fabulae imaginem ante oculos nostros evolvens digna est, cui hoc loco plura verba impendamus, quantum vis licet mendis lacunisque inquinata sit. Illic igitur Phaedram videmus epistulam exarantem, cui Amor opitulatur (Boiss. p. 163): *Ὁ δέ τις Ἔρως — παρασκευάζει τὴν ἐκ μέλανος ὕλην τοῖς γράμμασιν, ὅσα δὴ γραφέντα μηνῦσαι μέλλει τῷ Ἱππολύτῳ τὸν ἔρωτα· καὶ τῇ λαιᾷ ταύτην ἀνέχων, θατέρᾳ ταύτῃ τὴν γραφίδα φέρων ἐνέθηκε, μέλλων ἐπιδοῦναι τῇ Φαίδρᾳ.* Consimiliter Ovidiana Phaedra Amorem se adeo adhortantem fingit v. 13 sq.:

> ille mihi primo dubitanti scribere dixit:
> 'Scribe! dabit victas ferreus ille manus'.

Rhetor pergit: *ἡ δὲ λαβοῦσα γράψει· 'Μέχρι δὴ τίνος σωφρονήσεις, Ἱππόλυτε; Φαίδρα δὲ ποθεῖ σε καὶ βούλεται'.* Nutrix deinde describitur dominam adhortans: '*Τί πέπονθας, ὦ*

τέκνον; τί δὲ τοσοῦτον ἠπόρησαι; γράφε καὶ θάρρει, καὶ δέχου με τῇ χρείᾳ διάκονον'. Πείθει τὴν Φαίδραν εἰποῦσα καὶ οἴχεται. Quae omnia si ad imaginis veritatem revocare studueris, operam et oleum perdes, cum sophisticae artis pigmentis undique ita oblita sint, ut vix cognosci possit, quid lateat. — Altera scaena Hippolytum ostendit, cui nutrix inter venatum epistulam reddit; ille autem tabellas proicit: ἀφίησι μὲν τῶν χειρῶν καὶ βδελύττεται, καὶ κεῖται νῦν κατεαγός (Boiss. p. 165). Ovidius similem scaenam illustrat de Cauno narrans v. 575 sq.:

proicit acceptas lecta sibi parte tabellas
vixque manus retinens trepidantis ab ore ministri
'dum licet, o vetitae scelerate libidinis auctor,
effuge!' ait: 'qui, si nostrum tua fata pudorem
non traherent secum, poenas mihi morte dedisses[1]'.

Quod Caunus minatur, rhetoris Hippolytus paene ad exitum adducit, cum comiti nutricem tradat, cui clavam impingat. Ille autem mirifice delectatus, quia τὴν ἀκολασίαν μισεῖ, lenam verberibus foede mulcat. Num talem virgidemiam pictori imputabis? Ecphrasis autem ita incipit, quasi auctor Ἔρωτος ἐγκώμιον scripturus fuerit: Ἔρως δὲ καὶ Ἔρωτος τὰ τοξεύματα πάντως φοιτᾷ καὶ διὰ πάντων διέρχεται, καὶ οὐδὲ[2] Ζεὺς ἐλεύθερος, ὅταν ἐθέλωσιν Ἔρωτες κτλ. Latent Euripidis sententiae Hip. 447 sq. 1268 sq. frg. 434, qui etiam in eo recognoscitur, quod Phaedrae corpus vocatur σῶμα στηριγμάτων ἐπιδεόμενον (Boiss. p. 162; cf. Eur. Hip. 198 sq.) et πῆχυς πάθει λυόμενος. Nam Euripidea Phaedra lamentatur l. l.: λέλυμαι μελέων σύνδεσμα. — Denique addo hoc: Phaedra rhetoris concipit ignem privigni imaginem intuens, nam Amor δείκνυσι μετέωρον ἐν χρώμασιν τὸν Ἱππόλυτον — mirum hoc, quoniam in eadem imaginis area epistula scribenda occupata esse vide-

---

[1] Similia fortasse Hippolytus Velatus protulit, ubi ei Phaedra supplicem se proiecit. Nam talia pudico iuveni magis conveniunt, quam quibus Senecae Hippolytus matrem increpat v. 713: 'abscede, vive ne quid exores'. — Ceterum conferendum Agathiae epigramma εἰς Ἱππόλυτον διαλεγόμενον τῇ τροφῇ τῆς Φαίδρας (Anth. Pal. XVI App. Plan. 109):

Ἱππόλυτος τῆς γρηὸς ἐπ' οὔατι νηλέα μῦθον
φθέγγεται· ἀλλ' ἡμεῖς οὐ δυνάμεσθα κλύειν κτλ.

[2] Sic Boiss. — Cod. οὔτε.

tur — Byblidi autem Cauni imago per somnum saepe offertur v. 470 sq.[1], quod vere Alexandrinum est. Sic Medea Iasonem in somno cernit (Apoll. Rhod. III, 616 sq.), quae experrecta ita v. 636: *δειλὴ ἐγών, οἷόν με βαρεῖς ἐφόβησαν ὄνειροι.* Byblis exclamat v. 474: 'me miseram! tacitae quid vult sibi noctis imago?' Apud Nonnum (Dionys. XLVII, 320 sq.) Ariadnae somnianti Thesei imago occurrit; somno soluto desiderat, ut redeat iucunda imago v. 345; idem Byblis avet v. 480. Quibus adiungas Bacchi, cui Beroe offertur, haud quaquam pudica somnia plane respondentia Milesiis (Nonn. Dionys. XLII, 335: *καὶ σκιεροῖσι γάμοισιν ὁμίλεεν κτλ.*); excitatus Somnum Amorem Venerem precatur, ut voluptates revocent v. 341 sq. Similia matrimonii gaudia Morrheus somniat Chalcomedae amore inflammatus (Nonn. Dionys. XXXIV, 89 sq.)[2], qua fabella hic illic Euripideam Phaedram nobis in memoriam reduci supra notavi (p. 18). Denique somnia in Anthologiae lusibus haud raro occurrunt (cf. Anth. Pal. V, 243. XII, 125. 127 v. 5 sq. 177). — Ad Choricium autem post hanc digressionem redeuntes iam confidenter statuemus eum Alexandrinum nescio quod carmen[3] praesto habuisse, ex quo plus quam inanes flosculos delibaret; praesertim cum constet rhetores istos recentes Alexandrinorum scrinia insolenter expilasse. Memoriae igitur infigamus eum ipsius epistulae summam suo quidem Marte paucis significare.

Ad extremum autem hunc locum ita concludere licet: In Ovidiana Byblidos fabula cum multa ornamenta inesse evicerim,

---

[1] Phaedra iuxta Theseum dormientem ipsa quoque somno occupata in prima area repraesentata erat, si rhetori fidem habes (Boiss. p. 162).

[2] De alio ornamento Alexandrino in Chalcomedae fabula Nonniana cf. Dilthey l. l. p. 70 et de Beroae fabula p. 36.

[3] Cave, ne ex Callimacho, cui *ἱστορίαι ξέναι καὶ ἄτριπτοι* prae popularibus placebant, omnes poetas elegiacos pendas. An in hac quaestione nihil valent picturae parietariae totiens Hippolyti fabulam illustrantes? Accedit, quod Lycophron nostram fabulam in scaenam deduxit (cf. Suidas s. v.). Abeat quidem nugator Apuleius, qui (de Orthograph. § 64 p. 13 Os. Meineke Anal. Alex. p. 290) Lupi cuiusdam Anilii de Phaedrae sororisque ultione testimonium ementitus (cf. Madvig opus. acad. I p. 20) addit: 'Parthenius aliter'. Quanquam, unde hoc habeat, nescimus.

quae cum Alexandrina Phaedra congruant, iis pensitatis, quae antea de Nasonis exemplaribus Alexandrinis disputavi, iam cum magna fiducia similis harum fabularum tractatio ad ipsos Alexandrinos revocari potest; apud quos item multa de Euripideis fabulis derivata in usu fuisse summa cum specie veri sumitur, quoniam ex parvis ac paucis Alexandrinae poesis frustulis interdum tragici ingenium etiam nunc perlucet.

Irrita quidem incipias, si certos auctores, ad quos poeta Romanus in adornanda Byblidos fabula se adstrinxerit, excitare testes coneris. Varii varia tradiderunt; primum enim ad partes vocandi Nonnus Dionys. XIII, 550 sq., Schol. Theocrit. VII, 115, Conon Narrat. II, Nicaenetus apud Parthenium XI, qui sic narrant: Caunus amat, fugit; Byblis redamasse videtur, cum fratris fugam gravissime maereat. Ab altera parte stant Nicander *Ἑτεροιουμ. β'* (Ant. Lib. XXX. Schn. p. 55), *οἱ πλείους* apud Parthenium l. l., ipse Parthenius l. l. (frg. XXXII M.)[1], Ovidius; secundum quos Byblis perdite amat, fratrem adit, repulsam fert[2]. Quomodo *οἱ πλείους* cum Ovidio congruant, modo exposui. Poetae Romano proprium est, quod Byblis 'committit saepe repelli' v. 632, quam amplificationem si paraphrastae oppressissent, non mirarer[3]. Acerbos luctus, in quos puella post fratris fugam incidit (Ov. 635 sq.), Nicaenetus Conon Parthenius (frg. XXXII v. 1 sq.) exposite et aperte indicant[4].

---

[1] Aristocriti et Apollonii Rhodii nomina in capitis indiculo citata non ab ipso Parthenio originem traxisse verisimile est; cf. Hercher Erot. script. Graec. I p. V sq. At Rohde l. l. p. 116 (adn.) verissime fidem auctorum in textu laudatorum defendit.

[2] Prior fabulae forma, quam etiam Nicaenetus antiquissimus laudatorum auctorum sequitur, antiquior fuisse videtur, quod proverbium *Καύνιος ἔρως* spondet (cf. Rohde l. l. p. 95. 1). Alexandrini autem rem invertebant, ut Hippolyteae fabulae populare schema usurpantes occasionem nanciscerentur depingendi muliebris animi gradatim ad scelus labentis.

[3] Verba *τῶν πλειόνων: τὴν δὲ ἄρα ὑπὸ τοῦ πάθους μὴ ἀνιεμένην, πρὸς δὲ καὶ δοκοῦσαν αἰτίαν γεγονέναι Καύνῳ τῆς ἀπαλλαγῆς* sermonem significare possunt, qualem Ovidius v. 585 sq. puellam post primam repulsam secum habentem fingit, si discesseris a diverso argumento fabulaeque progressu.

[4] Ovidiana puella diripit vestem a pectore v. 636 sq., quod Parthenius ipse v. 5 sq. de mulieribus Byblida lugentibus narrat.

Longas puellae errationes praeter Ovidium v. 644 sq. unus Conon commemorat (πολλὴν ἐρημίαν πλανηθεῖσα). Nicaenetus terras potius enarrat, per quas Caunus migraverit [1]. Apud Parthenium ipsum infelix puella laqueo fauces innectit, cuius fabulae formae Nasonem bene gnarum fuisse probat Ars Amator. I, 284 (cf. Hygin. f. 243). Idem referebant οἱ πλείους; compilator addit: φασὶ δέ τινες καὶ ἀπὸ τῶν δακρύων κρήνην ῥυῆναι ἰδίᾳ τὴν καλουμένην Βυβλίδα. Quomodo haec inter se consociarint, Conon indicio est: βρόχον τὴν ζώνην τινὸς καρύας καθάψασα ἑαυτὴν ἀνήρτησεν· ἔνθα δὴ κλαιούσης αὐτῆς ἐρρύη τὰ δάκρυα καὶ κρήνην ἀνῆκε, Βυβλίδα τοῖς ἐπιχωρίοις ὄνομα (cf. Schol. Theocrit. l. l.). — Apud Nicandrum, qui unus de fratris interpellatione nihil habet, Byblida amoris impatientia e rupe se praecipitare conantem nymphae cohibent eamque mutant in Hamadryada; additur: καλεῖται δὲ καὶ τὸ ῥέον ἐκ τῆς πέτρας ἐκείνης ἄχρι νῦν παρὰ τοῖς ἐπιχωρίοις δάκρυον Βυβλίδος. Cui narrationi aliud testimonium non suffragatur, quod saepius in hoc auctore fabulas ad ludibrium variante accidit. Nam poeta Romanus, a quo Nonnus stat, fingit puellam, quam Naides commiserantur, lacrimarum rivo perpetuo gramina umectante in ipsum fontem versam, 'qui nunc quoque vallibus illis Nomen habet dominae nigraque sub ilice manat' (v. 663 sq.). Quae ad Nicandri verba nos sponte reiciunt. — Denique ut ad Byblidos natales veniam, de patre Mileto consensus est; dissentiunt de matre, quam Ovidius v. 452 sq. Cyaneen Maeandri filiam (cf. Mythograph. Vat. I, 204), Nicander Idotheam Euryti filiam, Nicaenetus Tragasiam vocat [2]. Proles Ovidio auctore v. 453 gemella est; idem testatur Nicander (δίδυμοι παῖδες), cum quo praeterea poeta Romanus mirifice concinit narrans v. 447 sq. Miletum celeri carina sponte Minoa fugisse urbem-

---

[1] Terrarum nomina diversa sunt, nisi Cragon Ov. 646 latet in *Κάπρος* Nic. v. 7; cf. Meineke l. l.

[2] Nomina aquae significationem prae se ferunt; cf. Rohde l. l. Preller Pl. Gr. Myth. II p. 135 adn. 2. 3. — Meineke: *Τραγασίη δὲ Καλαινοῦς εἴχετο παιδί*. Cod. Pal. *κελαινέες*. A. Hecker Philolog. 1850 p. 415: *Τραγασίην δὲ Κελαινοῦς ἤγετο παῖδα*. Herch.: *Κελαινοῦς*. Cf. Steph. Byz. s. v. *Κάλβιος· κρήνη Λυκίας ἣν καὶ Καλαινόν φασι*. Ceterum Tragasaeum sal lectoris animo occursabit (Steph. Byz. s. v. *Τραγασαί*; cf. Meineke l. l. Epimetr. II).

que cognominem in Asia condidisse; qua de re ita Nicander: *τότε νυκτὸς ὁ Μίλητος ἐμβὰς εἰς ἄκατον βουλῇ Σαρπηδόνος εἰς Καρίαν ἀποδιδράσκει καὶ πόλιν ἐνταυθοῖ κτίσας Μίλητον ἔγημεν Εἰδοθέην κτλ.* Praefatus autem erat Ovidius referens v. 441 sq. Minoa tunc invalidum pertimuisse 'Deïonidenque iuventae Robore Miletum Phoeboque parente superbum', quem secundum Nicandrum, cum pulcher esset, *ὁ Μίνως κατὰ πόθον*[1] *ἐνεχείρει βιάζεσθαι.* Aristocritum autem de eo tradidisse ferunt (Schol. Apoll. Rhod. I, 185): *τοῦτον δὲ ἀνδρωθέντα καὶ φθονούμενον ὑπὸ τοῦ Μίνωος ἀναχωρῆσαι εἰς τὴν Σάμον κτλ.* — Apollodorus III, 1. 2 denique inter liberos Europae et Asterionis certamen ortum esse prodit hac de causa: *ἴσχουσι γὰρ ἔρωτα παιδός, ὃς ἐκαλεῖτο Μίλητος —. τοῦ δὲ παιδὸς πρὸς Σαρπηδόνα μᾶλλον οἰκείως ἔχοντος πολεμήσας Μίνως ἐπροτέρησεν. οἱ δὲ φεύγουσι, καὶ Μίλητος μὲν Καρίᾳ προςσχὼν κτλ.* Ceterum de Apolline Mileti patre omnibus convenit; de matre Aria Aristocrito Apollodoro scholiastae Theocriti l. l. Etymologico magno (s. v. *Μίλητος*); unus Nicander Acacallida Minois filiam[2] eam vocat, unus Ovidius Deionen. — Ea igitur ratio, quam poeta Romanus in Byblidos stirpe illustranda sequitur, satis aperto documento est temporum invidiam scriptoribus, qui maxime in censum veniant, non pepercisse; turbae latere possunt in *τοῖς πλείοσι*, quos Parthenius laudat. Sed necesse erat firmum et stabile fundamentum iacere, ne hariolaremur in vanis nominibus quaerendis. Interim, quod Ovidius in singulis cum hoc aut illo auctore congruit, id favet concludenti eum ex Alexandrinorum hortulis hinc illinc flores carpsisse, quae erat eius consuetudo.

Ad certiora venio. Nam fore confido, ut scrupulus, si cui forsan de Euripidis vestigiis in Byblidos fabula resederit, funditus tollatur, ubi talia magis expressa etiam in simili Myrrhae fabula detexero, quam Ovidius sequente Metamorphoseon

---

[1] Verheykii coniectura *κατὰ φθόνον*, quod verbum invenitur Ant. Liber. XXXVII, nescio an improbanda sit. Nam testimonia supra allata examinanti in utramque partem argumenta occurrent. Itaque interim codicum scripturam tueor.

[2] Alium filium ex eadem cum Apolline procreatum commemorat Apollonius Rhodius IV, 1494; cf. Schol.

libro (X, 298 sq.) cantavit. Myrrha igitur, cui ipse Cupido sua tela nocuisse negat v. 311 sq.[1], ut Phaedra (cf. Eur. Hip. 392 sq.) foedo amori repugnare studet v. 319 sq., sed mox incesta vota retractat; modo sceleris pestem ante oculos positam effugere vult, modo in eo est, ut turpi cupiditati manus det. Sic inter spem et conscientiae cruciatus fluctuat neque ulla argumentandi ratione consistendi locum invenit; denique 'nec modus et requies, nisi mors, reperitur amoris. Mors placet' v. 378 sq. Phaedra ita morti praefatur Eur. Hip. v. 398 sq.:

τὸ δεύτερον δὲ τὴν ἄνοιαν εὖ φέρειν
τῷ σωφρονεῖν νικῶσα προυνοησάμην.
τρίτον δ', ἐπειδὴ τοισίδ' οὐκ ἐξήνυτον
Κύπριν κρατῆσαι, κατθανεῖν ἔδοξέ μοι
κράτιστον — οὐδεὶς ἀντερεῖ — βουλευμάτων.

Quam moriendi cupiditatem nutrix reprimit quidem postea. Apud Ovidium res usque ad laqueum venit v. 378 sq.; sed nutrix intervenit v. 382 sq. — Perattentum autem velim te teneat ea ratio, qua poeta nutricem desperandi causam et amoris confessionem ex puella, quae ut Phaedra amorem occultaverat, exsculpentem proponit; quippe quae manifesto ab Euripide ducta sit. Nutrix enim instat puellam rogans, ut sibi committat, quicquid doleat v. 391 sq., sed 'illa rogantem aversata gemit' v. 393 sq. Sic Phaedra acriter instanti nutrici gemitu tantum respondet Eur. Hip. 300; Phaedrae enim verba sunt: *ὦ τάλαιν' ἐγώ*. Ovidius pergit: 'certa est exquirere nutrix Nec solam spondere fidem'. Euripidea nutrix eandem confidentiam habet v. 285: *οὐ μὴν ἀνήσω γ' οὐδὲ νῦν προθυμίας*. Orat illa puellam v. 395 sq.:

---

[1] Additur v. 313 sq.:

stipite te Stygio tumidisque adflavit echidnis
e tribus una soror.

Acumen hoc vere Alexandrinum ex eadem imaginandi ratione ortum est, ex qua Erinys thalami pronuba, similia. De quibus cf. Dilthey l. l. p. 91. Ann. dell' Inst. 1869 p. 24 sq. 42 sq. Simile quid latere videtur in Choricii verbis foede mutilatis eam scaenam, in qua anus Hippolytum adit, describentibus (Boiss. p. 165): *Ἱππόλυτ . . . . . τάχα συμβολῇ συνεχόμενον, ὃν οὐκ Ἔρως, ὡς ἔοικεν, ἀλλ' Ἐριννὺς . . . .*

'dic' inquit 'opemque
me sine ferre tibi; non est mea pigra senectus.
Seu furor est, habeo, quae carmine sanet et herbis,
sive aliquis nocuit, magico lustrabere ritu,
ira deum sive est, sacris placabilis ira.

Quorum versuum exemplaria ex Euripidea fabula repeti debent. Ab externa forma congruunt v. 293 sq.:

κεἰ μὲν νοσεῖς τι τῶν ἀποῤῥήτων κακῶν,
γυναῖκες αἵδε συγκαθιστάναι νόσον·
εἰ δ' ἔκφορός σοι συμφορὰ πρὸς ἄρσενας,
λέγ', ὡς ἰατροῖς πρᾶγμα μηνυθῇ τόδε. —
εἶεν· τί σιγᾷς; κτλ.

ab argumento aliqua ex parte v. 478 sq. (cf. v. 509 sq.):

εἰσὶν δ' ἐπῳδαὶ καὶ λόγοι θελκτήριοι (cf. Ov. v. 397)

v. 480:

ἦ τἄρ' ἂν ὀψέ γ' ἄνδρες ἐξεύροιεν ἄν,
εἰ μὴ γυναῖκες μηχανὰς εὑρήσομεν (cf. Ov. v. 396)[1].

At quod nutrix suspicatur: seu furor est — sive aliquis nocuit — ira deum sive est —, prorsus easdem coniecturas chorus Euripideus antea de Phaedrae morbo iecit v. 141 sq., 151 sq., 145 sq.

Poeta Romanus deinde nutricem patris mentionem veluti casu inicientem fingit; tum Myrrha audito fatali nomine ingemiscit v. 402. Eodem artificio utitur Euripides v. 310; quod Ovidio, qui anum amorem praesentire narrat v. 404, quanquam Myrrha ne verbo quidem eum tetigit — Euripides cautius egit —, ita placuit, ut idem iterum adhiberet v. 410. Tunc Myrrha l. l:.

exiluit gremio furibunda torumque
ore premens 'discede, precor, miseroque pudori
parce!' ait. Instanti 'discede, aut desine' dixit
'quaerere, quid doleam: scelus est quod scire laboras'.

---

[1] Intellegisne antiquos poetas in interpretandis his versibus mecum consentire? Congruentia autem cum Ovidio impellat forsan quempiam, ut coniciat hos versus Euripideos, quos loco, quo nunc leguntur, ferri non posse vidimus, priori illi nutricis cum Phaedra colloquio adscribendos esse. Sed aptum locum frustra circumspicies; accedit, quod illic omnia tam concise posita sunt, ut nisi intemperata manu quidquam inseri nequeat.

Cum quibus componendi versus Euripidei
311 sq.: ἀπώλεσάς με, μαῖα, καί σε πρὸς θεῶν
τοῦδ' ἀνδρὸς αὖθις λίσσομαι σιγᾶν πέρι
v. 323: ἔα μ' ἀπελθοῦσ' κτλ. (cf. v. 333) v. 317:
χεῖρες μὲν ἁγναί, φρὴν δ' ἔχει μίασμά τι.
Apud utrumque poetam deinde nutrix supplex ante erae pedes procumbit (Ov. 415 Eur. 326); atque quod maximi ponderis est, utraque heroina similibus ambagibus confessioni praeludit. Myrrha enim v. 422: 'o' dixit 'felicem coniuge matrem!' Phaedra ita v. 337;

ὦ τλῆμον, οἷον, μῆτερ, ἠράσθης ἔρον.

Confessione autem Phaedrae tandem extricata nutricem horror perfundit v. 353 sq., quem poeta Romanus anus canitie rigidis hirta stante capillis illustrat v. 425.

Sed Ovidiana nutrix multa addidit, 'ut excuteret diros, si posset, amores'. Euripidea longe secus, cum resistenti Phaedrae persuadere potius conetur, ut amori totam se dedat; quae est unica ratio moderatis alterius Phaedrae moribus conveniens. Nescio an idem Myrrhae conveniens fuerit, ut quam poeta Coroniferi exemplum secutus incestam libidinem anxie occultantem et aliquatenus certe pudicitiae cedentem fecerit. Nasoni aliter visum est, cum puellae a ratione antea enixe observata subitam defectionem imputet pergens v. 427 sq.:

at virgo scit se non falsa moneri;
certa mori tamen est, si non potiatur amore.

Compilationis videlicet hi versus haud obscura indicia sunt, quippe qui potius prioris Phaedrae mores delineent. Nam postquam tragica nutrix Seneca auctore iterum iterumque periclitata est, quibus adhortationibus dominae cupidines contunderet v. 129 sq. 246 sq., illa fatetur vera esse, quae nutrix memoret, sed furorem cogere peiora sequi v. 177 sq. Neque Senecae Phaedra certa mori non est v. 254, quam mortem minantem anus prohibet spondendo iuvenem ferum se aggressuram v. 272, ut Myrrhae nutrix v. 429: 'vive,' ait haec 'potiere tuo'. Quod promissum numine firmat ritu Euripideae nutricis, quae cum Veneris invocatione de scaena decedit v. 522 sq.

Sed inquirentibus in eam rationem, qua poeta Myrrham contra incestam cupiditatem luctantem induxerit, multa obvia fient, quae Milesiam puellam in memoriam reducant. Nam

haud fortuito poeta Byblida et Myrrham simul nominat ad illustrandam illam sententiam: flammam muliebris amoris legitimum finem saepe excedere (Art. Am. I, 283 sq.). Iuxta igitur ponendi hi maxime sunt versus: Met. X, 335 sq. (cf. v. 320) IX, 509; X, 337 sq. IX, 490 sq. (cf. v. 478); X, 343 sq. IX, 458 sq.; X, 355 IX, 511; X, 369 sq. IX, 468 sq.; X, 371 IX, 630 sq. — Sed ab hac comparatione progrediendum ad similitudines cum Phaedris. Nam quodsi Myrrha se ipsa accusat: 'quo mente feror? quid molior?' v. 320, 'quid in ista revolvor?' v. 335 et Byblis: 'quo feror?' v. 509, in his similibusque provocari potest ad Euripideam Phaedram: *ποῖ παρεπλάγχθην γνώμας ἀγαθᾶς* v. 240 (cf. supra p. 62). Verumtamen Senecae nutricem potius nonnunquam audire videaris in eram invehentem v. 142: 'quo, misera, pergis? quid domum infamem aggravas?' (cf. v. 165. 169), quae alio loco Phaedram obsecrat, ne se dirae spei obsequentem praebeat v. 131 sq.; cum Myrrha sibi exprobret v. 336: 'spes interdictae discedite!' (cf. v. 322. 352 sq.). Sed haec leviora; gravius, quod Myrrha ad extremum sic argumentatur v. 354 sq.: 'velle puta: res ipsa vetat. Pius ille memorque est Moris'. Etenim prorsus eodem modo Phaedrae nutrix, postquam tot verba irrita profudit, castos iuvenis mores postremo praetendit v. 228 sq. et v. 236 sq.:

resistet ille seque mulcendum dabit
castosque ritus Venere non casta exuet?

Eadem causa Milesia puella incestum aversatur Met. IX, 506: 'finge placere mihi: scelus esse videbitur illi'. At in quibus nunc ad Phaedram relegaturus sum, ea uni Myrrhae propria sunt. Interrogat enim se v. 346 sq.:

et quot confundas et iura et nomina, sentis?
tune eris et matris paelex et adultera patris?
tune soror nati genetrixque vocabere fratris?

qualia nutrix quoque Phaedrae exprobrat Sen. v. 171 sq.:

miscere thalamos patris et nati apparas
uteroque prolem capere confusam impio?

Neque quas Myrrha 'atro crinitas angue sorores' sibi depingit v. 349 sq., illa praetermittit imagine quidem omissa potius poenam praesentem conscium mentis pavorem animumque culpa plenum alumnae obiciens (Sen. v. 162 sq.). Denique legenti mihi Ovidii versum 364, quo Cinyreia virgo patri, quem digna

procorum copia urget, interroganti: qualem virum habere optet, respondet: 'similem tibi' semper occursat animo Cressa mulier ex adverso amati iuvenis stans et perquam similia deverticula flexionesque quaerens, cum ita tergiversatur, ut obstupefactum privignum revocet ad Thesei vultus priores et eius tanquam similem speciem, in quam exardescat (Sen. v. 646 sq.). — Unus restat locus, cuius exemplar indaganti mihi non minus forsan applaudatis. Nam Myrrha multa verba impendit simplicem naturae statum, quo animalia nullo dilectu coeant, prae humana societate fortunatum dicens v. 323 sq. Qualium exemplorum, in quibus animalium vita cum humana in comparatione coniungatur, Alexandrinos poetas vel eorum asseclas Romanos affatim suppeditare notum est[1]. Sed cum virgo humanas malignae curae leges cum gravitate quadam vituperat v. 329 sq., aut fallor aut hic locus altius deduci potest ad ipsum scilicet Euripidem, cuius Phaedram antea de Byblide senum illa iura legesque aspernante disputans (p. 63) laudavi[2]. Premo enim perquam similem in Philemonis fragmento 90 argumentationem[3], cuius extremus quidem versus vincit minime de incesto defendendo agi; sed sententiarum lumina non infra Euripideum cothurnum sunt, cuius admiratorem

---

[1] Conferas ex. gr. Ovid. Art. Am. I, 279. Lydiae v. 28 sq. Verg. Aen. IV, 551. Propert. III, 15. 27 H.

[2] Similem senum legumque despicientiam significat Propertius III, 30. 13 sq. H., idoneus auctor hoc ornamentum a tragica Phaedra ductum postea apud Alexandrinos eroticos frequentatum esse. — Cave autem ne ideo de Ovidii exemplari desinas quaerere.

[3] Frg. inc. VIII. M. IV, 36:

Ὦ τρισμακάρια πάντα καὶ τρισόλβια
τὰ θηρί', οἷς οὐκ ἔστι περὶ τούτων λόγος·
οὔτ' εἰς ἔλεγχον οὐδὲν αὐτῶν ἔρχεται,
οὔτ' ἄλλο τοιοῦτ' οὐδέν ἐστ' αὐτοῖς κακόν
ἐπακτόν, ἣν δ' ἂν εἰςενέγκηται φύσιν
ἕκαστον, εὐθὺς καὶ νόμον ταύτην ἔχει.
ἡμεῖς δ' ἀβίωτον ζῶμεν ἄνθρωποι βίον·
δουλεύομεν δόξαισιν, εὑρόντες νόμους
προγόνοισιν, ἐγγόνοισιν. οὐκ ἔστ' ἀποτυχεῖν
κακοῦ, πρόφασιν δ' ἀεί τιν' ἐξευρίσκομεν.

Stobaeus Flor. 98. 14. — V. 3 libri *αὐτῶν οὐδέν*. Transposuit Grotius. V. 9 Meineke mavult *ἐκγόνοισιν*.

ille alias se gessit (cf. frg. 129 inc. XLa M. IV, 48). Accedit, quod fragmentum 63 auget suspicionem eum Hippolyti Velati bene gnarum fuisse, ut in priore dissertationis parte (p. 27) ostendi. Euripides autem ipse similem rationem concludit frg. inc. 912:

ἡ φύσις ἐβούλεθ', ᾗ νόμων οὐδὲν μέλει[1].

Sed opus est tandem aliquando argumenta breviter astringere; nam cum ex ornamentorum coloribus fabulaeque natura, de qua re infra disseram, efficiatur Ovidio aliquod Alexandrinum exemplar in promptu fuisse, quod in Helvii Cinnae Smyrna eodem iure sumunt (cf. Rohde l. l. p. 101. 1.), oritur iterum quaestio apprime gravis, cuinam Euripides colores mutuos dederit; quam summa cum specie veri eodem modo, quo in Byblidos fabula, solvi posse mihi constat. Nam ut taceam de similitudine colorum admodum diluta, qui ad priorem Phaedram revocandi sunt, non nego fieri potuisse, ut Ovidius in adornando illo colloquio inter nutricem et alumnam tragico exemplari uteretur; quanquam poeta alias non veritus est totos versus integros surripere, quale furtum nostro loco non deprehenditur. Sed ut vis esto: quin Alexandrini praeierint, dubium esse nequit Antonini Liberalis fabula XXXIV ad comparationem vocata[2]. Ille enim de Smyrna, quam vocat, haec perhibet: *ταύτην διὰ κάλλος πλεῖστοι καὶ ἐκ πόλεων πλείστων ἐμνήστευον, ἡ δὲ πολλὰ ἐμηχανᾶτο πρὸς ἀπάτην τῶν γονέων καὶ ἀνάθεσιν τοῦ χρόνου· δεινὸς γὰρ αὐτὴν ἔρως ἐξέμηνεν ἐπὶ τῷ πατρί. καὶ κατὰ μὲν ἀρχὰς δι' αἰδῶ κατέκρυπτε τὴν νόσον, ἐπεὶ δὲ τὸ πάθος αὐτὴν προῆγεν, ἐξεῖπε τὸν λόγον πρὸς Ἱππολύτην τὴν τροφόν· ἡ δὲ παραδώσειν αὐτῇ ἄκος τοῦ παραλόγου πάθους ὑποσχομένη λόγον πρὸς τὸν Θείαντα προσέφερεν, ὅτι κτλ.* — Ut cognoscatur, quid in hac epitome paraphrasta reciderit, aequi iudicii unum hoc erit, ut ad similis fa-

---

[1] Ad extremum laudat Myrrha gentes, in quibus 'nata parenti iungitur' v. 332 sq., quod de Chaldaeis et Magusaeis Sotio (Diog. Laert. I, 7) et Bardesanes (Euseb. Praep. Ev. VI, 10 § 21) memoriae produnt. Originem talia ducere potuerunt ex fabulosis itinerariis (cf. Rohde l. l. p. 240. 1.).

[2] Nomen auctoris descripti epitomator celat, quod magnopere queri libet. Alexandrinum eum esse nemo negabit; in quam sententiam mox plura proferentur.

bulae epitomen i. e. Hippolyti argumentum refugiamus, in quo res ita narratur: *θεασαμένη δὲ τὸν νεανίσκον ἡ Φαίδρα εἰς ἐπιθυμίαν ὤλισθεν —. στέγουσα δὲ τὴν νόσον χρόνῳ πρὸς τὴν τροφὸν δηλῶσαι ἠναγκάσθη, κατεπαγγειλαμένην αὐτῇ βοηθήσειν· ἥτις κατὰ τὴν προαίρεσιν λόγους προςήνεγκε τῷ νεανίσκῳ.* — Qui non praeiudicata opinione tenetur, intelleget Antonini auctorem tam presse tragici vestigia legere, ut etiam Ovidio antecellat, cum de Myrrhae morte voluntaria iam imminente nihil tradat et nutricem morbi remedium pollicentem fingat. Sed ut ne levissimus quidem scrupulus resideat, nutrici Hippolytae nomen, de quo aliunde non constat, inditum est; qua fictione non tam fur proditur quam furtum data opera pronuntiatur. Nimirum Alexandrini poetae minime veriti sunt hoc modo alienum bonum in suam rem convertere, quod Dilthey (l. l. p. 108 sq.) praeclaro Ctesyllae fabulae exemplo demonstravit, in quam Nicander (Ant. Lib. 1) parum ingeniose pomi Cydoni artificium e Callimachi Cydippa transtulit neque sibi temperavit, quominus Cydippam et Acontium nominaret[1]. Saepissime enim auctorem fabulamve, quam ruminantur, aliquo modo significant sive exemplaris versus tecte denotantes atque adeo ipsos intexentes sive personas fabulae, quam imitantur, comparationis instar nominantes[2]. Quale studium etiam nostro loco in nomine ficto deprehendi patet. Ceterum, quia ignoramus, quo usque auctor in singulis rebus exornandis tragicum poetam descripserit, cave ne nimium tribuas iis, quibus ille et poeta Romanus differre videntur. Itaque nescio, an similis exemplaris indicia apud Ovidium cognosci possint in eo, quod nutrix silentio tegat, quid moliatur, non ausa praeterea incestum palam pronuntiare v. 429 sq. Atque quod Antonini auctor Smyrnam multa machinantem fingit ad procrastinandum responsum, quod procris urgentibus parentes daturi sint, nonne poeta Romanus eandem prolationem illustrat

---

[1] Hanc significationem ad Antoninum revocandam esse iure negavit Rohde l. l. p. 92. 3.

[2] Exempla collegerunt Rohde l. l. Dilthey l. l. (cf. p. 73 sq.) Knaack l. l. p. 30; quibus addi possunt Nonniana Dionys. XXIII, 221 sq. XXXV, 28 (cf. Koehler d. Dionysiaca d. Nonnus p. 65 p. 31. 3). Denique huc pertinet Heliodori historiola de Cnemone, in qua Hippolyti fabulam denotari supra exposui (p. 64 sq.).

lepida ac taetra simul imagine filiae ad patrem rogantem sese applicantis suaviter blandiendo respondendoque, se virum patri similem optare v. 364? In quibus omnibus vero, ne caligemus, iam paullo altior indago flagitatur, num Ovidius in reliquis narrationis partibus cum uno potissimum nostrae fabulae auctore conspiret et quatenus ab Antonini auctore recedat.

Exordior a nominis stirpisque recensione testibus iuxta ponendis. Myrrha Cinyrae Cypriorum regis filia: Ov. 298 sq.[1], Serv. Verg. Buc. X, 18. Mater Cenchreis est Ovidio auctore v. 435. — Myrrha Cinyrae filia: Serv. Verg. Aen. V, 72[2], Schol. Theocrit. I, 107, ubi mater Smyrna appellatur. — Myrrha Thiantis filia: Schol. Lycophr. Alex. 828, Nicephorus Progymn. (Walz Rhet. Gr. I p. 429; cod. Θύας)[3], Schol. Oppian. Halieutic. III, 403 (cf. Greve de Adonide p. 5). Myrrham Nonnus semper Adonis matrem nominat (cf. Dionys. II, 151. XXIX, 135 e. s.); item Lycophron Alex. 829, Propertius IV, 19. 16 H. — Smyrna Cinyrae Assyriorum regis et Cenchreidis filia: Hygin. f. 58 (cf. f. 242)[4]. Smyrna Cinyrae filia: Plut. Parall. 22 (Stobaeus Flor. 64. 34). Anton. Liber. l. l.: Θείαντος τοῦ Βήλου καὶ Ὠρειθυίας μιᾶς τῶν νυμφῶν ἐγένετο θυγάτηρ ἐν τῷ ὄρει τῷ Λιβάνῳ Σμύρνα[5]. Denique Helvii Cinnae memor sis, apud quem puella item Smyrna vel Zmyrna audit[6]. — In nominanda igitur

---

[1] In Cypro eum regnasse Ovidius non expresse quidem dicit; sed ex silentio hanc interpretationem colligas, cum antea de hac insula et de Paphio heroe locutus sit. Accedit, quod v. 299 denotatur proverbium illud Κινύρου πλουσιώτερος ad Cypriorum regem relatum (cf. Paroemiogr. Append. IV, 68. Schn. et L. I p. 450. Diogenian VIII, 53. Schn. et L. I p. 316).

[2] Ab hoc Servii loco pendent breves narratiunculae Mythograph. Vatic. I, 200. II, 34. III, 11 (17).

[3] Nicephorum ad partes voco, quia verisimile est eum ex Alexandrino fonte hausisse.

[4] Sciens omitto Hygini fabulam 164. Quod ibi de Myrrha — nam sic nominatur — traditur, ex Fulgentio III, 8 Hygino assutum est; cf. M. Schmidtii ed. p. 18.

[5] Fanum Veneris in Libano monte a Thiante factum commemorat Lucianus (Syr. D. 9), qui in libro de saltatione (c. 58) Myrrham ἐν Φοινίκῃ dicit. Byblos urbs Μύρρας ἄστυ vocatur (Schol. Lyc. l. l.), cuius rex, si Strabonem (XVI, 755) audis, Cinyras fertur.

[6] Cf. Weich. Poet. Lat. Min. p. 168 sq. — His addo Probum

puella videntur arbitratu suo variare, quae nominis diversitas olim ex dialecti proprietate orta est, ut Athenaeus (XV, 688c) docet: *μύρρα γὰρ ἡ σμύρνα παρ' Αἰολεῦσι* (cf. Schol. Lycophr. l. l. Sappho frg. 163 B.)[1].

Copiam procorum, de qua Ovidius et Antoninus conspirant, Cinnae innotuisse primus concludo ex epigrammate, quod Suetonius (de gramm. 18) ait in Crassicium, qui Zmyrnam commentario illustraverat, scriptum esse:

Uni Crassicio se credere Zmyrna probavit:
  desinite indocti coniugio hanc petere!
Soli Crassicio se dixit nubere velle,
  intima cui soli nota sua extiterint.

Atque salis acumen etiam elegantius fit, si assumpseris poetam ut Ovidius patrem ex filia quaerentem induxisse, cui nubere vellet.

Myrrhae autem cum nutrice colloquium compilatores ut merum ornamentum plerumque oppressisse videntur; simile tamen residuum, quale in Antonini, in Plutarchi narratione exstat (l. l.): *καὶ τῇ τροφῷ τὴν ἀνάγκην τοῦ ἔρωτος ἐδήλωσεν* (sc. *Σμύρνα*), quod ultro nos revocat ad Hippolyti argumentum: *στέγουσα δὲ τὴν νόσον χρόνῳ πρὸς τὴν τροφὸν δηλῶσαι ἠναγκάσθη.*

In Myrrhae morte voluntaria illustranda Ovidio v. 378 sq. mirifice convenit cum uno Hygino, qui de puella refert f. 58: 'quae ne suspendio se necaret, nutrix intervenit'. — Accurate

---

Verg. Buc. X, 18 p. 25 K.: 'Adonis, ut Hesiodus ait, Phoenicis et Alphesiboeae (cf. Apollodor. III, 14. 3), Agenoris Thiantis, qui Histriam Arabiamque tenuit imperio, ut Antimachus ait, regnavit Cypro, ut Philostephanus libro, quo quaestiones poeticas reddidit, ex Iove sine ullius feminae accubitu procreatus'. Cf. Antimach. Lyd. frg. 15 Bergk, qui post 'Agenoris' lacunam esse statuit. Apollod. III, 14. 4: *Πανύασις δέ φησι Θείαντος βασιλέως Ἀσσυρίων* (sc. *τὸν Ἄδωνιν*). Tzetzes (Schol. Lycophr. 829. 831) duos Adonides novit, alterum Byblium Thiantis, alterum Cyprium Cinyrae filium; cf. Greve l. l. p. 7.

[1] Veneris iram, quam breviter commemorat Apollodorus fusius Hyginus Lactantius (Ov. Met. X. f. 7) Theocriti scholiasta causam subtexentes, Ovidius praeterit. Servius (Verg. Buc. X, 18) de Solis ira narrat; cf. Greve l. l. p. 8.

deinde pensitanda sunt testimonia de via ac ratione, qua nutrix patrem adeat. Ovidius igitur ita narrat v. 438 sq.:

nacta gravem vino Cinyram male sedula nutrix
nomine mentito veros exponit amores
et faciem laudat.

Apud Antoninum nutrix regi nuntiat: *ὅτι αὐτῷ κόρη μακαρίων ἀνθρώπων ποθεῖ παραγενέσθαι κρυφαῖος εἰς τὴν κοίτην.* Similia de nutrice perhibent Plutarchus: *ἔφη γὰρ γείτονα παρθένον ἐρᾶν αὐτοῦ, καὶ αἰσχύνεσθαι ἐν φανερῷ προσιέναι* et Oppiani scholiasta: *ἡ τροφὸς συνεκοίμησε ταύτην τῷ πατρί, εἰσάγουσα κατὰ τὴν νύκτα, ὡς ξένην γυναῖκα* et Servius (Verg. Buc. X, 18): 'dixit Cinyrae esse quandam puellam, quae eius amore flagraret et concubitum nocte in tenebris propter verecundiam expeteret virginalem'. In Theocriti commentario incestum sic instituitur (l. l.): *ἐλάνθανε δὲ τὸν πατέρα στολιζομένη καὶ συναναμιγνυμένη ὡς θεράπαινα.* Quae fabulae forma alio testimonio non comprobatur. Nam ab altera parte testes stant, qui nutrice omissa Myrrham ipsam paternae ebrietati insidiantem fingunt: Nicephorus, Servius (Verg. Aen. V, 72), Mythographi Vaticani. Ovidius igitur compilator male sedulus, quanquam postea (cf. v. 473) prioris ordinis testes secutus puellam in tenebris cum patre concubuisse refert, tamen lenae dolum ita exornat pudicitiae praetextum inconsiderate neglegens, ut eam in Cinyram ebrium incidentem fingat; quod potius ei fabulae formae accommodatum est, ex qua nutrix ministrae partibus non fungitur. Atque apud Ovidium haec ratio eo minus sufficit, quod spurcam Venerem saepius integratam esse refert v. 471 [1]. Id denique, quod lena puellae faciem laudat, Nasonem non invenisse alio loco demonstrabo.

Myrrha autem in thalamum deducta, malo omine revocata attamen procedens, paene ante oculos nostros ponitur Ovidii versibus 454 sq.:

it tamen, et tenebrae minuunt noxque atra pudorem;
nutricisque manum laeva tenet, altera motu
caecum iter explorat e. q. s.

Argutiae vividis coloribus singula effingentes Alexandrini stili

---

[1] Apollodorus loquitur de duodecim noctibus, quod mythologorum interpretationi ansam dare potest.

indicia sunt; neque in Antonini epitome relicta non sunt, quae hoc confirment, talia: *καὶ ὁ μὲν* (sc. *Θείας*) *ἐν τῷ οἴκῳ σκοταῖος ἐπὶ τῆς στρωμνῆς ἐξεδέχετο τὴν κόρην, ἡ δὲ τροφὸς κατακρύψασα τῇ ἐσθῆτι τὴν Σμύρναν παρήγαγεν.* Quam funestam deductionem poeta Romanus etiam copiosius effingit v. 462 sq.:

cunctantem longaeva manu deducit et alto
admotam lecto cum traderet ʻacceptʼ dixit e. q. s.

Vides speciosum additamentum *κατακρύψασα τῇ ἐσθῆτι* ab illo neglectum esse. Incestum denique hunc exitum habet v. 472 sq.:

cum tandem Cinyras, avidus cognoscere amantem
post tot concubitus, inlato lumine vidit
et scelus et natam verbisque dolore retentis
pendenti nitidum vagina deripit ensem.
Myrrha fugit e. q. s.

Simila narrant Servius (Verg. Buc. X, 18): ʻcupiens deinde videre vultus puellae, lumen iussit inferri visamque filiam persequi cum gladio coepit, ut interficeretʼ e. q. s.[1] et Plutarchus: *ποτὲ δὲ θελήσας τὴν ἐρῶσαν μαθεῖν, φῶς ᾔτησεν· ἰδὼν δέ, ξιφήρης τὴν ἀσελγεστάτην ἐδίωκεν. Ἡ δὲ κατὰ πρόνοιαν Ἀφροδίτης εἰς ὁμώνυμον δένδρον μετεμορφώθη*[2]. Antonini epitome partim congruit, partim dissidet: *καὶ ὡς ἐκύησε μὲν ἡ Σμύρνα, Θείαντα δὲ πόθος ἔλαβεν ἐκμαθεῖν ἥτις ἦν ἡ κύουσα, ὁ μὲν κατέκρυψε πῦρ εἰς τὸν οἶκον, Σμύρνα δ᾽ ὡς ἐξίκετο πρὸς αὐτόν, ἐπάϊστος ἐγένετο προενεχθέντος ἐξαπίνης τοῦ πυρός, καὶ τὸ βρέφος μὲν ἐξέβαλεν ἐκ τῆς γαστρός, αὐτὴ δ᾽ ἀνασχοῦσα τὰς χεῖρας ηὔξατο μήτε παρὰ ζῶσι μήτ᾽ ἐν νεκροῖς φανῆναι.* — Ovidiana quoque puella deos imprecatur, ut ambobus se pellant regnis v. 483 sq.[3]; sed Antoninus

[1] Servius altero loco (Verg. Aen. V, 72) et Mythographi Vaticani item gladium strictum commemorant.

[2] Stobaeus addit: *ἡ δὲ περικατάληπτος κατὰ πρόνοιαν κτλ.*, cum quibus conferas Apollodorum: *ἡ δὲ περικαταλαμβανομένη θεοῖς ηὔξατο ἀφανὴς γενέσθαι.* — Scholiasta Oppiani ita: *γνοὺς δ᾽ ὁ πατὴρ κατεδίωξε αὐτὴν τὴν θυγατέρα ἐπὶ τῷ φονεῦσαι, ἐλεήσας δ᾽ αὐτὴν ὁ Ζεὺς ἐποίησε χάναι τὴν γῆν καὶ δέξασθαι αὐτήν, καὶ ἐκ τοῦ τόπου ἀνῆλθε φυτόν κτλ.* Apud Hyginum f. 58 puella pudore stimulata in silvas se abdit, ne palam fiat se concepisse.

[3] Praeter laudatos auctores Lycophronis scholiasta hanc imprecationem commemorat.

unicus auctor est iam tum partum editum esse. nisi Theocriti scholiastae historiolam adsciscere vis: *ὕστερον δὲ ἐγκυμονοῦσα καὶ γεννῶσα τὸν Ἄδωνιν ἐφωράθη, ἐφ' οἷς ἀχθομένη ἢ αἰσχυνομένη ηὔξατο εἰς ὁμώνυμον φυτὸν μεταλλαγῆναι.* Reliqui omnes Adonin ex ipsa arbore natum esse volunt, fissa cortice, ut Ovidius Apollodorus Lycophronis scholiasta Nicephorus. Cui rei Servius altero loco (Verg. Aen. V, 72) plura verba impendit: 'percussa, ut quidam volunt, a patris gladio[1], ut quidam, ab apro parvulum edidit' (sc. Myrrha in arborem versa); altero (Verg. Buc. X, 18) tantum de apri dente loquitur. Apud Ovidium v. 510 sq. Lucina opem fert 'admovitque manus et verba puerpera dixit'[2]. — Unus Ovidius denique Myrrham per varias terras vagantem fingit v. 477 sq.[3], quae Servio (Verg. Buc. X, 18) et Lactantio Placido auctore in silvas tantum fugit. Sed Ovidii geographicas notiones si ad vivum resecare studueris, haud levibus impedimentis illaqueaberis, ut dudum Dilthey observavit (l. l. p. 48). Licet enim poeticae licentiae condones, quod ad Cyprum insulam, unde profectus est, nunquam respiciat, nonne qui Panchaiae telluri irascatur, quod murram ferat v. 309, idem postea neglegenter scribit Myrrham Panchaea rura reliquisse et Sabaea potius terra fessam tandem requievisse? An ad Servii locum (Verg. Georg. II, 115): 'Arabia Panchaia et Sabaeorum gens eadem est, apud quam tus nascitur' refugies et puellam quasi in gyro circumactam, unde profecta sit, eodem reverti statues? Immo cum totius loci conformatio argumento sit Ovidium hic discrimen fecisse inter illas gentes, fugae fictionem haud fortuitam esse crediderim. Potuit sane Libanus, quae est fabulae scaena apud Antoninum, ei obversari; Sabaei enim secundum Isidorum (Orig. X, 2. 49) 'ipsi sunt et Arabes, qui in montibus Arabiae sunt, qui vocantur

---

[1] Unum hoc tradunt praeterea Mythographi Vaticani.

[2] Antoninus patrem mortem sponte sumpsisse perhibet; item Hyginus f. 242.

[3] Nemesianus Cyneget. v. 26 sq.:

> Byblidos indictum nulli scelus: impia Myrrhae
> connubia et saevo violatum crimine patrem
> novimus, utque Arabum fugiens cum carperet arva
> ivit in arboreas frondes animamque virentem

Ovidium ante oculos habuisse videtur (cf. Ov. Art. Am. I, 283 sq.).

Libanus et Antilibanus, ubi tura colliguntur' (cf. Serv. Verg. Aen. I, 416).

Accuratius de fabulae antiquitate disserere huius loci non est; Alexandrinos poetas eam in primis illustrandam sibi proposuisse, ut in qua illicitae Veneris cantandae occasionem exoptatissimam et discordium amoris affectuum depingendorum invitamentum validissimum haberent, quis est, quin mecum concludat? Accedit, quod Adonidis fata iis cordi certe fuerunt, ut poetae bucolici [1] et picturae Pompeianae [2] evincunt; imprimis denique in Aegypto eius cultus maxima veneratione celebrabatur (cf. Greve l. l. p. 29). Itaque haud temere conicias in Hygini Myrrhae fabula 58 Alexandrinorum vestigia latere, quoniam sequentem fabulam Battiadae artem et ingenium spirare Knaack (l. l. p. 41) Wilamowitzium secutus probavit. In Apollodori narratione solent quidem Panyasim auctorem credere [3], temerario tamen iudicio; nam eius testimonium antea exscriptum solito more in sola genealogia affertur. Titulum denique indagaturo, qui Antonini Liberalis narratiunculae praefigendus sit, de Alexandrino aliquo auctore tibi iam constabit, praesertim cum de transformatione agatur et fabulae quadraginta una, quas ille constipavit, fere omnes ab Alexandrinis auctoribus repetitae sint. Viginti autem duae e Nicandri Heteroeumenis excerptae sunt (cf. Schneider Nic. p. 42 sq.). Itaque pronus fere sum in eam sententiam, ut eidem auctori nostram fabulam deberi putem; nam quod legimus in Schol. Theocrit. V, 92: *τὴν ἀνεμώνην Νίκανδρός φησιν ἐκ τοῦ Ἀδώνιδος αἵματος φῦναι* fidem facit eum de Myrrhae fatis egisse. De anemone autem Ovidius idem perhibet (v. 731 sq., cf. Greve l. l. p. 8), qui consensus non ita parvi aestimandus est,

---

[1] Cf. Theocrit. Id. XV. Bion. Id. I, ubi (v. 91) Adonis Cinyrae filius vocatur. Neque neglegendum Philostephanum Callimachi discipulum Probo auctore, ut antea notavi, de Adonide egisse (cf. Mueller F. H. G. III p. 31 frg. 14).

[2] Helb. no. 329 sq. Adonidis partum e Myrrhae arbore agnovit Dilthey (Bullet. dell' Inst. 1869 p. 158) in pictura Pompeiana Helb. no. 1390 summa cum specie veri, quatenus delineatio parum accurata (Raoul-Rochette mon. inéd. T. 48) iudicium admittit.

[3] Cf. Kinkel frg. 25 p. 264. Funcke de Panyas. Halic. p. 60 sq. Greve l. l. p. 4. At Tzschirner (Panyasid. fragm. p. 49) recte nihil ad Panyasim referendum esse statuit nisi Adonidis parentes.

quia alii rosam ex Adonidis cruore germinasse referebant[1]. Atque quod Antonini auctorem hic illic ab aliis deflectere cognovimus, tam impensa variandi libido, si quid video, Nicandri ingenio respondet, licet Schneider hanc quaestionem neglexerit. Sed verum est coniecturae nostrae fidem ab aliqua parte eo elevari, quod, ut ille animadvertit (p. 69), Antonini epitome mortem Adonidis eiusque in anemonen conversum cruorem ne verbo quidem tangit[2]. — Restat Theodorus Metamorphoseon auctor, qui laudatur a Plutarcho in Parallelis eiusque epitomatore Stobaeo, testibus, inquies, valde suspiciosis[3]. Atqui Theodorum quendam tale opus composuisse diserte testatur Probus indicans Ovidium in altera fabula de Alcyone Nicandrum, in altera Theodorum secutum esse[4]. Itaque si Plutarchus maioris fidei auctor esset, Theodorum praeter ceteros auctores, inter quos Nicandro fortasse principatus dandus, Nasoni ad manum fuisse suspicari merito licuit, cum eius narratio in re-

---

[1] Cf. Bion. I, 66: *αἷμα ῥόδον τίκτει, τὰ δὲ δάκρυα τὰν ἀνεμώναν.* Philostrat. ep. 1 p. 343 K. Procop. Soph. ep. VIII p. 535 H.

[2] Callimachum Ovidio Adonidis fabulam cantanti in promptu fuisse incerta est Rauchii coniectura (l. l. p. 73).

[3] Historiolas parallelas Romanas ab ipso Plutarcho ad exemplum notarum prioris ordinis fabularum confictas esse vulgo contendunt. At in nostra mirandum, unde falsarius peculiare additamentum: *οἰνωθεὶς ὁ πατὴρ ᾔτει φῶς κτλ.* conflarit,' nisi ex diverso auctore, si memineris, quae supra de ebrietatis figmento explanarim. Ceterum quod laudatur in fine Aristides, nescio an eius auctoritas huic fabulae aptissima sit; nam Ovidio auctore (Trist. II, 413) 'iunxit Aristides Milesia crimina sexum'. Opinor igitur in illa Plutarchi farragine non omnia subditicia esse.

[4] Ad Verg. Georg. I, 399 p. 44 K. Schneider Nic. frg. 64 p. 68; cf. Knaack l. l. p. 54. — Servius ad eundem Vergilii locum alteram fabulam de Ceyce Luciferi filio eiusque uxore proponit, quam ad alterum utrum auctorem — nam de ordine ambigitur (cf. Schneid. l. l.) — magna cum probabilitate revocabis. Paullo copiosior Servii de Myrrha narratio (Verg. Buc. X, 18), cum qua Ovidianam aliquatenus consentire exposui, quominus Nicandro vindicetur, obstat relata in rosam Adonidis commutatio. Neque equidem Theodori auctoritatem spondere audeo, quia Stobaeus puellam in fuga deprehendi refert; de qua re in Servii commentario nihil legitur. — Knaack autem sibi persuasit per commentarium Servianum dispersam esse transfigurationum collectionem a viro docto Graeco confectam (l. l. p. 8 (10) cf. p. 41).

bus haud levibus cum Ovidiana congruat. — Cinnae denique doctum novemque annis elimatum ac perpolitum carmen Ovidio non innotuisse, quis est, qui pertinaciter asserere audeat? Quanquam neque carminis obscuritas, quippe quod grammaticis verum γυμνάσιον εἰς ἐξήγησιν fuisse videatur, neque fragmenta, etsi paucissima restant, probabile reddunt Nasonem in eius imitatione defixum fuisse, ne dicam de diversis heroinae nominibus. Itaque absit, ut illi epigrammati in Crassicium nimium momenti in hac quaestione attribuam.

Sed — ne me pudeat fateri me nescire, quod nesciam — ulterius coniecturis captandis progredi nolo. Vides enim magno incommodo nostro haec omnia fluctuare neque multum nos lucrari vanis nominibus, quorum auctoritati ambigua testimonia succurrant, subodorandis. In his aut nemo unquam certiora scire poterit aut is demum, qui omnes cuiusvis auctoris transformationum narrationes cum Ovidianis compararit et circumspectius, quam olim Mellmann[1], sub uno conspectu posuerit. Interim docuisse satis habeo cum Ovidium alios auctores ad imitandum delegisse et conflasse, tum apertam affinitatem intercedere inter poetam Romanum et Antonini Liberalis auctorem, quod maximi ponderis est ad pensitandam recte Euripidis imitationem, in quam etiam reliquos auctores inclinasse, licet paraphrastae talia reciderint, Plutarchi locus supra allatus argumento est. Nasoni autem laudem inveniendi illustrandique illius inter Myrrham et nutricem colloquii iure me detraxisse etiam alia argumenta cogunt. Veri enim duco simillimum aliquem poetam Alexandrinum Myrrhae fabula tractata gloriam sibi acquisivisse, cui alii neque ii tantum, qui Myrrhae fata depingendas ibi proposuerunt, vestigiis eius magis minusve insistentes se addixerint. De qua conclusione confirmate mihi suffragaberis, si in Scyllae descriptione, qualem Ciris, Alexandrini si quod unquam coloris poema (cf. Dilthey l. l. p. 69), exhibet, corollarii loco quam brevissime potero nonnullas cum Ovidiana Myrrha similitudines atque eas tam generales monstravero, ut suspicioni per se reiculae, quasi poetae Latini invicem se imitati sint, non amplius locus relinquatur.

Scylla igitur furtim e cubili surgens iam in eo est, ut ad

---

[1] De caus. et auctor. narrat. de mut. form. Lips. 1786.

patrium cubiculum sceleris perpetrandi causa tendat v. 206 sq., cum nutrix intervenit v. 220 sq. Similem scaenam simili praeterea modo exornatam apud Ovidium invenimus, ubi nutrix interveniendo Myrrham impedit, quominus laqueum sibi innectat v. 382 sq. Atque in utroque poemate nutrix deinde ex puella causas tabis percontando exsculpere conatur et in proposito perstat (Cir. 234 sq. 254 sq., Ov. 391 sq. 394 sq. 405 sq. 412 sq.). Neque vero altercatio in Ciri tam artificiose instituta est, quam apud Ovidium; nutrix illic statim de amore loquitur (v. 237. 241), hic postea demum tale quid persentiscit v. 408. Scyllam autem ut Myrrham primo obticuisse arguit v. 254; nutriculam deinde obsecratur, ne se inquirendo torqueat v. 257, qualia Naso Myrrham exclamantem fingit v. 411 sq. Atque simili via ac ratione, qua illa huc illuc se vertit — nam frustra circumvehitur omnia verbis, ut poeta dicit v. 271, antequam incestum fateatur — et postremo fatale Minois nomen proicit v. 272, Ovidianae heroinae sceleris confessio extorquetur v. 419 sq. Utrique autem constitutum est mori, si amore non potiatur (Ov. 428, Cir. 276 sq.); nam Scylla quoque, quae primum v. 267 moriendi propositum tangit, inter moriendi et sceleris perficiendi consilia nutasse videtur, quo spectant v. 280 sq. Utrobique puellae amoris indicio nutrici ingens terror incutitur (Cir. 283 sq., Ov. 423 sq.). Sed Myrrhae nutrix multa protulisse dicitur, ut diros amores compescat v. 426; contra Scyllae clare pronuntiat se a tali conatu desistere v. 328 atque hoc unum rogat, ne illa inconsiderate in interitum se praecipitet v. 327. Hoc videlicet iam cogit diversae materiae natura[1]. — Denique ne testimonium desit, quod nostrae coniecturae fidem praestet, ab ipso Ciris auctore provisum est, cum nutricem de diro furore, qui puellae incidit, dubiam exclamantem induxit v. 237 sq.:

ei mihi, ne furor ille tuos invaserit artus,
ille, Arabae Myrrhae quondam qui cepit ocellos,

---

[1] Levioris ponderis est, quod puellis 'demptae subita in formidine vires' sceleratum propositum peracturis (Cir. 214, Ov. 456 sq.). — Praeverti autem libet ad procorum copiam (Cir. 412, Ov. 356) et Alexandrinam poetae circa minutulas res commemorationem depingentis anus sollertiam (Cir. 251), quae puellae vestem inicit; quam Antoninum quoque alio quidem sensu indicare vidimus (cf. supra p. 81).

quod nimirum ad poetarum morem spectat eundem, ut aperiant, unde sua consarcinarint, de quo supra verba feci (p. 77). Myrrhae autem crimen item denotat Scylla ipsa dicendo v. 263 se nihil amare, 'quo falsa tamen lateat pietatis imago'; in qua re ad Ovidium ultro provocare licet, qui in pietatis nomine ludere solet (cf. v. 366. 324. 333). Ceterum ipse nutricis interventus nequaquam necessarius ideoque ab Ovidio in Scyllae fabula (Met. VIII, 85 sq.) prorsus neglectus, satis manifesto indicat poetam aliena arte impulsum esse, ut fabulae adventiciam partem affingeret, minime quidem suo Marte, sed Alexandrini auctoris vestigiis insistens. Nam nutrici iam in exemplari aliquo Alexandrino partes datas esse pictura Pompeiana probat, Scyllam ostendens nutricula comite cum magno animi tumore, quem excitatus corporis habitus prodit, ante Minoem consistentem et purpureum crinem porrigentem [1].

Rei autem natura fert, ut exemplaris ornamenta et colorum quasi lumina, cum materia per alios auctores aliis traderetur, gradatim attenuata obscurataque sint et consensus cum tragica Phaedra fere evanuerit. Sed argumenta allata intellegentibus sufficient ad approbandum iudicium, quod supra feci, Ovidium neque primum invenisse praedictum illud colloquium neque in exornando eo sui ingenii impetum secutum esse. Tum noli praeter haec neglegere nonnullos colores in Scyllae descriptione adhibitos mirum in modum adfines iis, quibus Phaedrae depingi solent. Utraque enim amoris morbo affecta a pristina nendi consuetudine deflectit (Cir. 177. 179, Sen. Phaed. 103 sq.); idem auri taedium, quod Ciris poeta v. 177 denotat, in Phaedra invenis (Sen. 387). Musica arte, cui Scylla non amplius operam navat (Cir. 178), ancillae in sarcophagis frustra student Phaedrae tristitiam exhilarare. Atque cum 'gravidos Cereris fetus' non contingat Scylla (Cir. 230), in hoc quoque aequat Phaedram, quam chorus Euripideus canit *Δάματρος ἀκτᾶς δέμας ἁγνὸν ἴσχειν* (Hip. v. 138, cf. v. 275, Sen. 373 sq.). Quanquam vero Alexandrini poetae nonnulla id genus ornamenta in deliciis habent, ut alias explanabo, tamen mirum est Ciris auctorem

---

[1] Helb. no. 1337. Arch. Ztg. 1866 p. 196 sq. T. CCXII. — Haec pictura in eodem cubiculo atque altera modo laudata, quae Adonidis partum exhibet, reperta est.

et Senecam iisdem abuti; qualia sunt incerta ac trepidantia vestigia (Cir. 171, Sen. 367. 374) 'nullus in ore rubor' (Cir. 180, Sen. 376) pallor et lassae genae (Cir. 225, Sen. 364) crebrae in noctibus querelae (Cir. 174, Sen. 370). Plus autem valet, quod Seneca etiam varia animalium genera amoris ignes sentire canit v. 338 sq.: tunc Indiam horrere virgatas tigres v. 344 et Poenos leones quatere colla v. 348; at Ciris auctor Amorem praedicat scire 'Poenos domitare leones' et 'vires mansuescere tigris' v. 153 sq. — Niseia virgo ebacchatur v. 167 et 'solitos amictus mente non sana abnuit', quibus Senecae verbis v. 386 apte explices, quod Ciris auctor narrat v. 168 sq. Phaedra enim in silvas ferri exoptat v. 403; cervicem monili vacuam esse vult, crinem sparsum Assyrio odore vacare (v. 391. 393). Eundem virginalem mundum altera puella respuit (v. 168. 170)[1], comparata illa praeterea cum baccha et Cybeles antistita v. 165 sq.; quarum imaginum prior Alexandrinis eroticis usitata et trita fuisse videtur, ut creber eius apud Ovidium usus docet[2]. Sed adnotare huius loci est poetas cum sexcenties alias tum ad hoc quoque ornamentum inveniendum Euripidis quasi pulsu incitatos esse; nam ille in Phaedra lymphata subito venari et per silvas cursare parata animi affectionem vesaniae ac bacchico furori similem depinxit (Hip. 215 sq.). Nonne Phaedra ipsa nutricis anxia interrogatione expergefacta mentis suae alienationem significat v. 241: *ἐμάνην, ἔπεσον δαίμονος ἄτᾳ?* Quocum quam arte cohaereant exempla infra notata, vel inde apparet, quod puellis perdite amantibus nonnunquam vagabunda ac volatica in silvarum secessu erratio affingitur, ut Pasiphaae (Ov. Art. Am. I, 311 sq.) et Phyllidi (Ov. Rem. Am. 591 sq.), licet ipsum bacchae simile, quae passis capillis volans describitur, ad pingendi artem revocandum sit; id quod de concidente baccha choreis fessa (Prop. I, 3. 5 sq.)

---

[1] Ciris versus 168 sq. similes sunt Catullianis LXIV, 63 sq.; sed similitudinem una externae formae congruentia facit. Ter repetitum 'non' etiam Cat. 39 sq. et Cir. 177 sq. invenitur, ut 'tum' eodem modo repetitum Cir. 387 sq. et Cat. 19. sq.

[2] Rem. Am. 593 sq. (cf. Knaack l. l. p. 36) Her. X, 47. Art. Am. I, 312; III, 710. Cf. Prop. IV, 8. 14; V, 4. 71 sq. H. Alio sensu Iole, quam Hercules rapit, ab Euripide cum baccha comparatur (Hip. 550), quanquam locus corruptus est.

summa cum specie veri Helbig statuit [1]. Nunc demum ad chorum Euripideum praevertar, utpote qui ad similem cogitationem de furore a daemone aliquo Phaedrae iniecto deducitur v. 141 sq.: *σὺ γὰρ ἔνθεος, ὦ κούρα, | εἴτ' ἐκ Πανὸς εἴθ' Ἑκάτας | ἢ σεμνῶν Κορυβάντων | φοιτᾷς* [2] *καὶ ματρὸς ὀρείας*, quam Ovidii Phaedra ita effingit Her. IV, 47 sq.:

nunc feror, ut Bacchi furiis Eleleïdes actae,
  quaeque sub Idaeo tympana colle movent;
aut quas semideae Dryades Faunique bicornes
  numine contactas attonuere suo.

Qua similitudine iudicium de Euripidis auctoritate modo factum stabilitur. In Ciri autem etiam illud simile ex Magnae Matris religione deductum invenitur, ut modo dixi, quod a Vergilio (Aen. IV, 300 sq.), cui illud 'bacchatur in urbe' (Cir. 167) deberi videtur, translatum esse nequit. — Atqui cavendum hoc loco, ne ad praecipitem conclusionem abripiamur. Nam etiamsi Euripidis auctoritas saepenumero tanquam perluceat, tamen vix unum horum ornamentorum, quae modo attigi, eiusmodi est, ut ex ipsa tragoedia nullo auctore intercedente depromptum esse videatur; immo vero in his eroticorum scriptorum proprietatem iure agnoscere solemus. Itaque simplici nec, si quid video, improbabili ratiocinatione eo perducimur, ut iterum statuamus Alexandrinos Phaedrae amorem carmine celebrasse, quod Ciris exemplaris auctori et simul cum Euripide Senecae, de quo accuratius in fine exponam, inter manus fuerit [3]. — Exemplar autem

---

[1] Untersuch. üb. d. Camp. Wandmal. p. 119. Ceterum cf. Dilthey Rh. Mus. XXV p. 153. — Cave, ne haereas in Catull. LXIV, 60 sq.:

quem procul ex alga maestis Minois ocellis
saxea ut effigies bacchantis prospicit euhoe,

quo loco duas cogitationes in unam conflatas esse docet Ovidius, cuius Ariadna scribit Her. X, 47 sq.:

aut ego diffusis erravi sola capillis,
  qualis ab Ogygio concita Baccha deo;
aut mare prospiciens in saxo frigida sedi,
  quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.

[2] Hesych. *φοιτᾷ· μαίνεται.*

[3] Ut ad Ovidii epistulam raro tantummodo delegare possem, hoc factum est singulari epistulae materia, in qua componenda tamen Alexandrina exemplaria non minus arcessita esse cum indicavi, tum postea probabo.

Myrrhae fabulae item recognoscitur in Nyctimenes fabula, quam unus Lactantius (Stat. Theb. III, 507) uberius narrat: 'Nycteus Aethiopum rex felix, si nunquam pater fuisset[1], filiam habuit Nycteam nomine, quae, cum scelerato amore patrem diligeret, amorem suum nutrici confessa est, infandumque petivit auxilium. Ea cum mentita esset domino suo Nycteo a quadam illum extranea diligi virgine[2], impetravit ut filiae suae imprudens uteretur amplexibus. Sero illi cognitum facinus statuit vindicare. Quapropter agnitam inter ipsos amplexus filiam cum voluisset exstinguere, illa Minervae imploravit auxilium, cuius protectione periculo est erepta versaque in avem, quae ex conscientia[3] commissi facinoris diei fugit aspectum et Minervae tutelae dicata est. Alii dicunt filiam Proeti fuisse, patrisque vim timentem aufugisse, quam Minerva mutavit in noctuam'. Similitudo cum Myrrhae fabula tam perspicua est, ut verbis non amplius opus sit. At Ovidii distichon, ut quod demonstret iam Alexandriae has heroinas tanquam in contentionis iudicium vocatas esse, adponatur Ib. 357 sq.:

filia si fuerit, sit quod Pelopeia Thyestae,
Myrrha suo patri, Nyctimeneque suo[4].

Ad extremum de controversia, quem auctorem Ciris poeta maxime secutus sit, pauca subtexam necesse est, quia Rohde eam tam certa ratione, ut a vero paene non discreparet, dirimere posse sibi visus est (l. l. p. 93. 3). Omnibus enim testimoniis sub uno conspectu positis expensisque discrimen agnovit in tribus maxime rebus; quarum cum in duabus, quod Scylla Minois iussu ad navem adligetur et postea in avem mutetur, Ciris cum Parthenio ἐν ταῖς Μεταμορφώσεσιν[5] conspiret, Heynii

---

[1] Cf. Ov. Met. X, 298 sq.: 'qui, si sine prole fuisset, inter felices Cinyras potuisset haberi'.

[2] Plutarchus de Myrrhae nutrice Cinyram adeunte narrat l. l.: ἔφη γὰρ γείτονα παρθένον ἐρᾶν αὐτοῦ κτλ. (cf. supra p. 80).

[3] 'ex conscia' Lindenbrog.

[4] Tangit praeterea hanc fabulam per totam notissimam Lesbon Ovidius Met. II, 589 sq. Ceterum cf. Lact. Ov. Met. II f. 9. Serv. Verg. Georg. I, 408. — Nyctimenes pater ab Hygino (f. 204. 253) Epopeus vocatur.

[5] Eustathius ad Dionys. Perieg. 420 et scholia. Cf. Meineke Anal. Alexandr. p. 270 sq.

coniecturam de Parthenio exemplaris auctore proxime ad veritatem accedere. Quae conclusio tum forsan omnibus numeris absoluta esset, si de duabus illis rebus aliunde non constaret; quod longe secus se habet. Nam testimoniorum recensus hanc fabulae formam docet haud quaquam singularem fuisse. Accedunt alia; Parthenius narrat: *Μίνως — ἐνενοήσατο ὅτι ἡ τὸν πατέρα προδοῦσα οὐδενὸς ἂν ῥαδίως φείδοιτο, καὶ διὰ τοῦτο προσδήσας πηδαλίῳ νηὸς τὴν προδότιν καὶ πατροφόντιν ἀφῆκε σύρεσθαι διὰ θαλάσσης κτλ.*[1]. Quo loco in tenuioris argumenti complementum arcessitum esse videtur responsum, quale Ovidio auctore Minos Scyllae purpureum crinem porrigenti dat Met. VIII, 97 sq.:

Di te summoveant, o nostri infamia saecli,
orbe suo; tellusque tibi pontusque negetur.
Certe ego non patiar Iovis incunabula, Creten,
qui meus est orbis, tantum contingere monstrum.

Hyginus autem simile responsum significat f. 198: 'ille (sc. Minos) negavit Creten sanctissimam tantum scelus recepturam'. Legitur praeter haec in scholiis ad Dionysium l. l.: *τῆς Νίσου θυγατρὸς ἀποτεμούσης τῆς κεφαλῆς τοῦ πατρὸς τὸν μόρσιμον πλόκαμον*, quod Ovidius paene ad verbum expressit l. l. v. 85 sq.: 'fatali nata parentem Crine suum spoliat'. Hyginus ita (l. l.): 'fatalem crinem praecidit'[2]. Quorum omnium in Ciri nec vola nec vestigium apparet[3]; quocirca meum iudicium eo potius

---

[1] Sic Eustathius tradit; in scholiis similia leguntur.

[2] M. Schmidt, Hygini editor, lectores iam ad Ovidium remisit (p. 126). — Loci autem allati ut tueamur suadent apud Ovidium v. 85 codicis Laurentiani scripturam 'fatali' pro 'vitali', quod Korn non debuit in textum recipere. Ceterum apud Hyginum quoque puella se in mare praecipitat; ex quibus omnibus opinetur aliquis Hyginum Ovidio usum esse, quod in Glauci fabula (199) Rohdium contendere video (l. l. p. 124. 2). Equidem in alteram utram partem disputare nolo, antequam argumenta cumulata videro. In nostra autem fabula Hyginus ab Ovidio in his recedit, quod oraculi responsum fuse enarratur, Scylla Veneris impulsu amat, denique in piscem cirim illa mutatur.

[3] Perpaucos Ciris locos cum Ovidio concinere invenies; cf. Cir. 175 et Ov. 20, Cir. 107 sq. et Ov. 15 sq., in Scyllae extrema oratione Cir. 428 et Ov. 109, Cir. 418 sq. et Ov. 127.

redit interim, ut Ovidium praeter alios[1] Parthenium ante oculos habuisse arbitrer. Idem exemplar potuit Propertio obversari Tarpeiam tanquam Ausoniam Scyllam cantanti (V, 4 cf. v. 43); simili modo similis scelerata libido illic illustratur[2] et, si poeta heroinam suam primo loco ad Niseïam virginem provocantem fingit v. 39 sq., iam scis, quid hoc sibi velit. — Nescio autem, an Naso ad solitam fabulae formam, ex qua Scylla Minois iussu per mare trahitur, eo recurrat, quod puellam gloriabundam proponit v. 142: 'per freta longa trahar'; nam eodem verbo non satis quadrante in eam, quae sponte navem sequatur, Propertius (IV, 19. 26 H.)[3] et Ciris auctor v. 390 utuntur. — De auctoribus, quorum vestigia Ciris poeta legit, videmur scituri plusculum, si Toupii coniectura, qua illud fragmentum: *πορφυρέην ἤμησε κρέκα* Callimacho assignavit, nulli dubitationi obnoxia esset (cf. Schneid. Call. frg. anon. 39); nam, ut Buecheler me monuit, simillimus est Ciris v. 382: 'purpureumque parat rursus tondere capillum', quod Propertius ita ponit IV, 19. 22 H.: 'tondens purpurea regna paterna coma', Nonnus Dionys. XXV, 162 ita: *ἥλικα πορφυρέης ἀπεκείρατο βότρυν ἐθείρης*. Hecales frg. 52 recognosci in Cir. v. 349 sq. Bentley iam docuit. Neque vero multum lucramur illo loco, quo Carme nutrix malam fortunam filiae Britomartis anili questu enarrat Cir. 295 sq., qua adventicia carminis parte quispiam forsan inniti studeat ad indaganda poetae Cyrenensis vestigia[4].

---

[1] Puellae transfigurationem in monstrum marinum narrat Art. Am. I, 331 sq. Amor. III, 12. 21 sq. Her. XII, 123 sq.

[2] Cf. Ov. 19 sq. 24 sq. et Prop. 19 sq. 32; Ov. 38 sq. et Prop. 33 sq.: Ov. 37 (cf. v. 34) et Prop. 37 sq. Non magni pendo, quod Tarpeia de Scylla in saevos canes versa loquitur v. 40; taetra imago magis respondet loci naturae.

[3] Propertii versus 24: 'Nise tuas portas fraude reclusit Amor' Alexandrinum acumen captat; cf. Nonn. Dionys. XXV, 167. Ov. Met. VIII, 62. Congruit praeterea Propertius mirifice cum Ovidio v. 101 sq., si de Minoe aequo in hoste loquitur v. 28.

[4] Callimachus (hymn. in Dian. 190 sq.) primus hanc fabulam celebrasse videtur; eum laudant Schol. Eur. Hip. 146 Strabo X, 479. Sed Ciris v. 303 sq. potius doctrinam ex chrestomathiis haustam redolent; cf. Paus. II, 30. 3. — Fugam in insulam Aeginam commemorat Antoninus Liberalis XL, cuius narrationis auctorem Schneider merito fortasse Nicandrum esse statuit (Nic. p. 43). Nomen sic explicat:

Iam igitur alacriore animo Euripidis, qui se in Hippolytis vexati animi mire gnarum praestitit, vestigia altius persequemur et rimabimur. Prospere vero accidit, quod in hac quaestione ad unum quidem servatum poetam Alexandrinum provocare licet; Theocritum dico, qui in lepida Simaethae fabula (Id. II) Amoris tela praecordiis infixa haerentia tam suaviter tam simpliciter tam nativa arte cantavit, quam nescio an nunquam ullius gentis poeta [1]. In Lunae autem invocatione et philtrorum apparatu memoriam Phaedrae subesse, quae etiam in scholiis (v. 10) laudatur, pronum est coniectare, licet alter auctor Theocrito haec ornamenta submiserit [2]. — Quomodo igitur

---

κἀνταῦθα ἐγένετο ἀφανὴς καὶ ὠνόμασαν αὐτὴν Ἄφαιαν. A Callimacho in eo recedit, quod Britomartin confugisse tradit ad piscatores, qui eam retibus occultarent; quam narrationem Diodorus V, 76 refellere studet. Matris nomen 'Carme' testantur Antoninus Liberalis Pausanias Diodorus l. l.

[1] Romanus paraphrasta Vergilius (Buc. VIII, 64 sq.) nativam simplicitatem in descriptione amoris sensim altius atque latius serpentis plane suppressit.

[2] Cf. Schol. v. 69: *πρὸς τὴν Σελήνην καὶ τὴν Ἑκάτην φησί. ταύτας γὰρ συνεργοὺς εἰς τὴν περὶ ἐρωμένου φαρμακείαν παραλαμβάνει· τὴν δὲ τῶν φαρμακειῶν ὑπόθεσιν ἐκ τῶν Σώφρονος μίμων μεταφέρει.* — *φαρμακειῶν* corr. Adert; cod. *φαρμάκων* (sic.) 'haud dubie pro *φαρμακευτριῶν*', ut Duebner adnotat. Inde perversa opinio orta est Theocritum totum alterius carminis argumentum a Sophrone mutuatum esse. At scholiastae verba, si ita intelleguntur, in medio commentario necopinato interspersa haud levi offensioni sunt. Adde quod praecedentia scholii verba neutiquam huic interpretationi favent. Quocirca pertinaciter assevero Adertum rectissime legisse, ne dicam emendasse; unde nimirum discimus, quod unice ad rem accommodatum est, Theocritum in priore carminis parte argumentum i. e. apparatum sacrorum magicorum a muliere amante factum a Sophrone repetivisse, minime quidem integrum: *τὴν δὲ Θεστύλιδα ὁ Θεόκριτος ἀπειροκάλως ἐκ τῶν Σώφρονος μετήνεγκε Μίμων* (Schol. Id. II Arg.). Nam rei natura fert, ut ancilla in scaena non muta persona fuerit, ut iam Botzon observavit (De Sophron. et Xenarch. Mimogr. Gymn. Progr. Lyck 1856. p. 8. 2.); hoc discrimine Theocriti carmen revera minus limatum exstitit. — Contra alteri carminis parti, in qua fabula amatoria nude enarratur, cum Sophrone mimographo poeta scaenico nihil est commune. Dindorf igitur (p. 124) omnia sursum deorsum versavit post *ἀπειροκάλως* inserens *προσέθηκεν οἷς*. Ceterum haud scio an alterum illud scholion (v. 69)

Simaetha? *Φράζεό μευ τὸν ἔρωθ' ὅθεν ἵκετο!* Aspicit puella in pompae spectaculo Delphin atque ut vidit, ut insaniit v. 77 sq. Phaedra privignum ad mysteria celebranda profectum primum deperit; qua in re multus est Ovidius (Her. IV, 67 sq.), parcior Euripides (Hip. 24 sq.). Nolo quidem admodum premere hoc, quia similia in fabulis amatoriis iam inde ab Homero inveniuntur [1]. — Simaetham ardentem morbus consumit, decumbit in lecto decem dies et decem noctes; corpus marcescit, sola ossa et pellis relinquuntur v. 85 sq. Chorus Euripideus de Phaedra confabulatur v. 129 sq.: *ὅθεν μοι | πρώτα φάτις ἦλθε δέσποιναν | τειρομέναν νοσερᾷ | κοίτᾳ δέμας ἐντὸς ἔχειν | οἴκων* [2]. Narrat deinde tertium iam diem eam omnem cibum respuere (v. 135 sq. cf. v. 275). scire vult v. 174: *τί δεδήληται | δέμας ἀλλόχροον βασιλείας*, exclamat v. 274: *ὡς ἀσθενεῖ τε καὶ κατέξανται δέμας*. Simaetha autem haec subtexit v. 90 sq.: *καὶ ἐς τίνος οὐκ ἐπέρασα | ἢ ποίας ἔλιπον γραίας δόμον, ἅτις ἐπᾷδεν;* Nimirum pugnarat contra amorem; sed frustra lenimen circumspexit. Item Phaedra Euripidis, apud quem neque incantamenta neque remedia desunt, quae nutrix contra amorem sibi praesto esse praetendit. Sed verum remedium amatum iuvenem esse, in ea re nutrix et Phaedra fere non dissentiunt (cf. supra p. 15 sq.) Simaetha ita v. 95: *εἰ δ' ἄγε Θέστυλί μοι χαλεπᾶς νόσω εὑρέ τι μῆχος* atque iam *τὸν Μύνδιον* arcessi iubet. Sed gravissimus, qui praecedit versus 94: *χοὔτω τᾷ δούλᾳ τὸν ἀλαθέα μῦθον ἔλεξα*, utpote quem per circuitus locutus ita explices: *στέγουσα τὴν νόσον χρόνῳ πρὸς τὴν τροφὸν δηλῶσαι ἠναγκάσθη* (Arg. Eur. Hip.). Atque ista insignis

---

confictum sit ex priore aliquo, cum post ancillae discessum (cf. v. 64) fascinationum apparatui omnino non amplius locus sit; immo sola Luna ab amante muliere hic aptissime invocatur (cf. Schol. v. 10). Simul cum Hecate eo loco imploratur, quo ipsa sacra magica inchoantur (v. 10 sq.); atque ex commentario huius loci scholiasta suam doctrinam derivare potuit. Hic insuper Sophron laudatur (Schol. v. 12).

[1] Cf. Dilthey l. l. p. 49 sq. Rohde l. l. p. 145 sq. Argumenta mea eis tantum debilitari posse, quae iam ante Euripidis tempora in usu fuerunt, vix opus est monere.

[2] *Κοίτᾳ* om. AE. *ἔντοσθεν ἔχειν* libri plerique. Sensus perspicuus, sed locus corruptus. Wecklein (Fleck. Jahrb. 1880 p. 385) coniecit: *τειρομέναν νοσερᾶς αὐτὰν δέμας ἐντὸς ἔχειν κοίτας.*

similitudo tergiversantibus omnia deverticula intercludit. — Quaestionem autem illam, utrum poeta bucolicus haec ab ipso tragico deprompserit, an alii auctores intercesserint, haud in magno equidem ponam discrimine. Comprobasse pluris est fluxisse talia ab Euripidea poesi et dissipata fuisse adeo, ut poetae carminibus nescientes aliena ornamenta pro suis includerent discrimine, ut plerumque fit, inter diversas Hippolyti fabulae recensiones remoto.

Simili ratione tanquam vincula alieni arbitrii laxata sunt, a quo nonnullae fabulae maximam partem in Parthenii libello traditae inter illicitorum amorum narrationes Alexandrinas pendent; quas, quantum de pudore libidini occultatae frustra reluctante et de alterius personae crimini opitulantis intercessu agitur, ad eandem normam atque illas, de quibus modo locutus sum, ita compositas esse, ut etiam Euripideae Phaedrae auctoritas plus minus intermicet, extemplo perspicias [1]. — Agmen ducat Hermesianax, qui in Leontio Parthenio (V) auctore de Leucippo quodam haec narravit: *οὗτος κατὰ μῆνιν Ἀφροδίτης εἰς ἔρωτα ἀφικόμενος τῆς ’δελφῆς, τέως μὲν ἐκαρτέρει, οἰόμενος ῥᾷστα ἀπαλλάξασθαι τῆς νόσου· ἐπεὶ μέντοι χρόνου διαγενομένου οὐδὲ ἐπ’ ὀλίγον ἐλώφα τὸ πάθος, ἀνακοινοῦται τῇ μητρὶ καὶ πολλὰ καθικέτευε, μὴ περιιδεῖν αὐτὸν ἀπολλύμενον· εἰ γὰρ αὐτῷ μὴ συνεργήσειεν, ἀποσφάξειν αὑτὸν ἠπείλει.* Iuvenis spurcis perdite amantis mulieris coloribus effictus Alexandrinorum mores effeminatos redolet [2]. Luctans autem et furiosa libidine agitatus animus, qui consistendi locum non reperit, donec confessione relaxatur [3], ad quod exemplar effictus sit, non opus est multis explanare. Atque quod adulescens mortem minatur, si sceleris sperata ministra opem praestare nolit, in eadem re vidimus Phaedram Myrrhae exemplo fuisse (cf. Sen. Phaed. 250 sq., Ov. Met. X, 428, Cir. 276 sq.). — Parthenius

---

[1] Matrona Ephesia vix commemoratu digna, nisi quod ancilla refecta potione et cibo dominae pertinaciam expugnasse dicitur (Petron. Sat. 111 B. Cf. Phaedr. Fab. Append. 13).

[2] Euripides in Aeolo delicato sensu crescentem et altius serpentem Macarei furorem non exposite depinxisse videtur, ut alias ostendam.

[3] Mater lenae munere fungitur; quo scelus augetur.

pergit: τῆς δὲ παραχρῆμα τὴν ἐπιθυμίαν φαμένης τελέσειν, ῥᾷον ἤδη γέγονεν. ἀνακαλεσαμένη δὲ τὴν κόρην συγκατακλίνει τἀδελφῷ κτλ.[1] Mater videtur in promisso suo verecundia quadam sororis commemorationem supprimere, ut Myrrhae nutrix (Ov. l. l. 429 sq.) non ausa est parentis nomen proloqui.

Virum taetrae libidini deditum et frustra resistentem item Clymeni fabula ostendit, quem Parthenius (XIII)[2] filiam Harpalycen deperisse memoriae prodit: ταύτης εἰς ἔρωτα ἐλθὼν χρόνον μέν τινα ἐκαρτέρει καὶ περιῆν τοῦ παθήματος· ὡς δὲ πολὺ μᾶλλον αὐτὸν ὑπέρρει τὸ νόσημα, τότε διὰ τῆς τροφοῦ κατεργασάμενος τὴν κόρην λαθραίως αὐτῇ συνῆλθεν.

Contexere his etiam magis conveniat Laodices fabellam, cuius auctor apud Parthenium (XVI) Ἡγήσιππος (Μιλησιακῶν α΄) laudatur: ἐλέχθη δὲ καὶ περὶ Λαοδίκης ὅδε λόγος, ὡς ἄρα παραγενομένων ἐπὶ Ἑλένης ἀπαίτησιν Διομήδους καὶ Ἀκάμαντος πολλὴν ἐπιθυμίαν εἶχεν μιγῆναι παντάπασι νέῳ ὄντι Ἀκάμαντι· καὶ μέχρι μέν τινος ὑπ᾽ αἰδοῦς κατέχεσθαι, ὕστερον δὲ νικωμένην ὑπὸ τοῦ πάθους ἀνακοινώσασθαι Περσέως γυναικὶ (Φιλοβίη αὐτῇ ὄνομα) παρακαλεῖν τε αὐτὴν ὅσον οὐκ ἤδη διοιχομένῃ ἀρήγειν αὐτῇ. Laodices libido, illicita illa, quod vix attinet commemorare, non semel ab Alexandrinis cantata esse videtur[3].

Hinc autem me converto ad Periandri fabulam accuratius examinandam, utpote quae tota ab imo ad summum manifesto

---

[1] In sequentibus res contorta quadam implicatione ad exitum adducuntur, quae non tam tragoedia, quam 'novella' digna sit. Rohde igitur in ea commentatione, qua hanc partem historiae litterarum Graecarum certis finibus circumscribere conatus est (Verhandlung. der XXX. Versmlg. deutsch. Philol. in Rostock. Leipz. 1876 p. 55 sq.) tales narratiunculas nollem neglexisset, ut quae arte cohaereant cum fabulis Milesiis vel Cypriacis. Cf. Suid.: Ξενοφῶν Κύπριος ἱστορικὸς Κυπριακά· ἔστι δὲ καὶ αὐτὰ ἐρωτικῶν ὑποθέσεων ἱστορία περί τε Κινύραν καὶ Μύρραν καὶ Ἄδωνιν. — Obiter iam Leutsch, Rohdii adversarius, in similem sententiam disputavit (l. l. p. 70).

[2] Capitis indiculus: Ἱστορεῖ Εὐφορίων Θρᾳκὶ καὶ Δεκτάδας. Sic cod. Pal. Gale: Λευχίδας (cf. Meinek. l. l. p. 56). Cobet: Ἀρητάδας, quod Hercher in textum recepit. — Veterum testimonia ad hanc fabulam pertinentia congessit Meineke (l. l. cf. Rohde Gr. Rom. p. 36. 90).

[3] Cf. Lycophr. Alex. 495 sq. schol. Meineke l. l. p. 97 sq.

constructa sit ex fabulis praedictis, quanquam historiae veritatem captat. Parthenius igitur, cuius auctor quod non nominatur, aegre ferendum est[1], narrat l. l. XVII: *Λέγεται δὲ καὶ Περίανδρον τὸν Κορίνθιον τὴν μὲν ἀρχὴν ἐπιεικῆ τε καὶ πρᾶον εἶναι, ὕστερον δὲ φονικώτατον γενέσθαι δι' αἰτίαν τήνδε. ἡ μήτηρ αὐτοῦ κομιδῇ νέου πολλῷ [πόθῳ] κατείχετο, καὶ τέως [μὲν] ἀνεπίμπλατο τῆς ἐπιθυμίας περιπλεκομένη τῷ παιδί. προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου τὸ πάθος ἐπὶ μεῖζον ηὔξετο, καὶ κατέχειν τὴν νόσον οὐκέτι οἵα τε ἦν, ἕως ἀποτολμήσασα προσφέρει λόγους τῷ παιδὶ ὡς αὐτοῦ γυνή τις ἐρῴη τῶν πάνυ καλῶν, παρεκάλει τε αὐτὸν μὴ περιορᾶν αὐτὴν περαιτέρω καταξαινομένην*[2]. — Ingravescens in dies taetra voluptas animique aegrotatio solito more describitur. Libido autem primo osculis satiatur, ut Byblis non 'peccare putat, quod saepius oscula iungat' (Ov. Met. IX, 458), quo loco iam ad Cnemonis fabulam delegavi (p. 65). Reliqua ad Myrrhae exemplum inventa esse luce clarius est. Peropportune autem accidit, quod Ovidiano loco (Met. X, 440), quo Myrrhae nutrix puellae interpositae faciem laudat (cf. supra p. 80), similem iam tenemus; cum Periandri mater simulet puellam *τῶν πάνυ καλῶν* filii concubitum expetere. Item inchoati narrationis fili pertexendi ratio in sequentibus plane a Myrrhae fabula derivata est. Stipulatis enim propter puellae verecundiam, nocte ne lumen accenderetur neve sermonem haberent, expleta multis noctibus cupiditate, ubi crimen patefactum est filii aviditate spectandi, cum qua concubuisset, gladio stricto ille matrem persequi parat, sed deterretur *ὑπό τινος δαιμονίου φαντάσματος*, ut Parthenius dicit. Mater

---

[1] Laertius Diogenes I, 96 de Periandro: *Φησὶ δὲ Ἀρίστιππος ἐν πρώτῳ Περὶ παλαιᾶς τρυφῆς περὶ αὐτοῦ τάδε, ὡς ἄρα ἐρασθεῖσα ἡ μήτηρ αὐτοῦ Κράτεια, συνῆν αὐτῷ λάθρα· καὶ ὃς ἥδετο. Φανεροῦ δὲ γενομένου βαρὺς πᾶσιν ἐγένετο διὰ τὸ ἀλγεῖν ἐπὶ τῇ φώρᾳ.* Cf. Mueller F. H. G. II p. 79. Aristippi haec mendacia tertio saeculo procusa esse Wilamowitz demonstravit (Antig. v. Karyst. Philolog. Unters. IV p. 48 sq. 'Ein zwar höchst niederträchtiges, höchst unglaubwürdiges, aber als Beleg für die Stimmung seiner Zeit höchst schätzbares Schriftstück'). Erravit Nietzsche (Rh. Mus. XXIV p. 202).

[2] Verba uncis inclusa in codice desunt; inseruerunt Gale et Meineke.

autem voluntaria morte e vita decedit. Denique notare iuvat eo, quod mater lenae munus simul suscipit, rem intricatiorem fieri et scelus augeri, atque hoc consarcinatore dignum.

Iam vero qui ab his tam parvis Alexandrinae poesis frustulis pedem promoverit ad recentiora ac recentissima Graecarum litterarum tempora, in quibus Alexandrinorum auctoritas utique obtinet, eum plura id genus sparsa inventurum esse confido. Unam hoc loco narrationem propono Xenophontis Ephesii fabulae romanensi illigatam (II, 3 Herch. I p. 348 sq.), ubi Manto quaedam Apsyrti filia Habrocomen apud patrem servitutem servientem deperisse narratur: *αὕτη ἡ Μαντὼ ἐκ τῆς συνήθους μετὰ τοῦ Ἁβροκόμου διαίτης ἁλίσκεται καὶ ἀκατασχέτως εἶχε καὶ ἠπόρει ὅτι ποιήσαι· οὔτε γὰρ πρὸς τὸν Ἁβροκόμην εἰπεῖν ἐτόλμα, γυναῖκα εἰδυῖα ἔχοντα καὶ πείσειν οὐδέποτε ἐλπίζουσα, οὔτε ἄλλῳ τινὶ τῶν ἑαυτῆς δέει τοῦ πατρός· δι' ἃ δὴ καὶ μᾶλλον ἀνεκάετο καὶ διέκειτο πονήρως· καὶ οὐκέτι καρτεροῦσα ἔγνω πρὸς τὴν Ῥόδην, τὴν σύντροφον τῆς Ἀνθείας, οὖσαν ἡλικιῶτιν καὶ κόρην, κατειπεῖν τὸν ἔρωτα· ταύτην γὰρ μόνην ἤλπιζε συνεργήσειν αὐτῇ πρὸς τὴν ἐπιθυμίαν. καὶ δὴ σχολῆς λαβομένη ἄγει τὴν κόρην πρὸς τὰ πατρῷα ἐπὶ τῆς οἰκίας ἱερά, καὶ δεῖται μὴ κατειπεῖν αὐτῆς καὶ ὅρκους λαμβάνει καὶ λέγει τὸν ἔρωτα τοῦ Ἁβροκόμου καὶ ἱκετεύει συλλαβέσθαι καὶ πολλὰ ὑπέσχετο συλλαβομένῃ.* Rhode subinde iuvenem certiorem facit de amore; at Manto morae taedium diutius non fert (c. V Herch. p. 350): *ἡ δὲ Μαντὼ χρονιζούσης τῆς Ῥόδης οὐκέτι καρτεροῦσα γράφει γραμματίδιον πρὸς τὸν Ἁβροκόμην· ἦν δὲ τὰ ἐγγεγραμμένα τοιάδε: Ἁβροκόμῃ τῷ καλῷ δέσποινα ἡ σὴ χαίρειν. Μαντὼ ἐρῶ σου, μηκέτι φέρειν δυναμένη· ἀπρεπὲς μὲν ἴσως παρθένῳ, ἀναγκαῖον δὲ φιλούσῃ· δέομαι, μή με περιίδῃς μηδὲ ὑβρίσῃς τὴν τὰ σὰ ᾑρημένην. ἐὰν γὰρ πεισθῇς κτλ.*[1] — *Ταῦτα τὰ γράμματα λαβοῦσα καὶ κατασημηναμένη δίδωσι θεραπαίνῃ τινὶ ἑαυτῆς βαρβάρῳ, εἰποῦσα Ἁβροκόμῃ κομίζειν· ὁ δὲ ἔλαβε καὶ ἀνέγνω καὶ πᾶσι μὲν ἤχθετο τοῖς ἐγγεγραμμένοις κτλ.* — Iuvenis responso deinde per litteras dato omnes coniugii condiciones repudiat. Xenophon pergit: *Λαβοῦσα ταῦτα τὰ γράμματα ἡ*

[1] Manto inde ad certas coniugii condiciones proferendas descendit et, quae ex repulsa eventura sint, paucis aperit.

Μαντὼ ἐν ὀργῇ ἀκατασχέτῳ γίνεται καὶ ἀναμίξασα πάντα, φθόνον, ζηλοτυπίαν, λύπην, φόβον, ἐνενόει ὅπως τιμωρήσεται τὸν ὑπερηφανοῦντα. Denique insontem iuvenem falso crimine, quod vim sibi voluerit inferre, apud patrem defert. — Explicatius fabellae lineamenta persecutus sum, cum impudicae Phaedrae imaginem legentium animis sponte recursare certe sciam. Animadvertas quaeso, quam consimilis gradatio in Senecae Phaedra locum invenerit: mittitur primum, quae castum iuvenem inclinatiorem ad scelera reddat, deinde ipsa puella morae patientiam rumpens procedit et amorem fatetur[1]. Summi autem momenti tabellae; nam, ut taceam de Phaedrae epistulae exordio lepide ita exornato (Ov. Her. IV, 1 sq.; cf. Met. IX, 530 sq.):

Qua, nisi tu dederis, caritura est ipsa salute,
mittit Amazonio Cressa puella viro,

quod Manto se confessione laxantem excusat: *μηκέτι φέρειν δυναμένη*, eo dolores et cruciatus subindicat, de quibus Phaedra et Byblis scribunt, antequam victae fateri cogantur (Ov. Her. IV, 151 sq. Met. IX, 544 sq.). Pergit illa: *ἀπρεπὲς μὲν κτλ.*[2], quibus mirifice respondet, quod Ovidiana Phaedra scribit v. 154: 'quid deceat, non videt ullus amans — da veniam fassae, duraque corda doma!' (v. 156). Simul autem recognosces illud: 'miserere amantis', quo Senecae Phaedra et Byblis flebilibus precibus suis finem imponunt (Sen. 671; Ov. Met. IX, 561); quibus iterum subtexere iuvat, quod de Byblide narrabant: *ἐρασθεῖσαν τοῦ Καύνου λόγους αὐτῷ προσφέρειν καὶ δεῖσθαι μὴ περιιδεῖν αὐτὴν εἰς πᾶν κακὸν προελθοῦσαν* (Parthen. l. l.). Nonne meo iure in his antea (p. 64) epistulam suspicatus eram? — Iam igitur cum hoc consensu illud iudicium illustretur, quod Rohdii libro abunde explicatum est, fabularum romanensium scriptores in his rebus totos ab Alexandrinis pendere, novo argumento colligitur Ovi-

[1] Plutarchus de Phaedra narrat (l. l.): *ἥτις τοῦ προγόνου εἰς ἐπιθυμίαν ἐμπεσοῦσα τὴν τροφὸν ἔπεμψεν.*

[2] Tritum illud inde ab audaci Phaedrae in Velato Hippolyto dicto frg. 436 (cf. frg. 433):

ἔγωγε φημὶ καὶ νόμον γε μὴ σέβειν
ἐν τοῖσι δεινοῖς τῶν ἀναγκαίων πλέον.

Cui incestas puellas Alexandrinorum carminibus celebratas ad unam omnes plausum tulisse passim demonstravi.

dium in Phaedrae epistula fingenda exornandaque aliqua certe ex parte illorum imitatorem se praestitisse [1], et Choricium in ecphrasi varianda colorandaque totum se ad Alexandrinum fabulae amatoriae schema composuisse, quam non iam dubitabis ipsis Hippolyti et Phaedrae nominibus decorare. — Ad extremum varios affectus observa, quibus Manto post repulsam rapitur, eosque omnes huc erumpentes, ut acriter excandescat in ultionem iuvenilis fastus, qui erat infestus prioris Phaedrae animus. Simul Ovidii memoria cuique animum tanget causam, qua Phaedra privignum pessum dederit, cum dubitatione ita significantis Met. XV, 503: ʻindiciine metu magis, offensane repulsae?ʼ [2]

Quam nulla autem religione veteres fabulatores soliti sint eandem narrationem mutatis nominibus instaurare, Par-

---

[1] Non raro epistulae amatoriae fabulis romanensibus intermiscentur; ergo ne cessemus in Alexandrinorum et recentiorum scriptorum scriniis Ovidii exemplaria indagare, licet ille peculiare Heroidum epistularum opus novaverit (cf. Art. Am. III, 346). Velut Chaereas litteras ad Callirrhoen exarans a Charitone (IV, 4. Herch. II p. 78) sic describitur: *Χαιρέας — ἤθελε γράφειν, ἀλλ' οὐκ ἐδύνατο δακρύων ἐπιρρεόντων καὶ τῆς χειρὸς αὐτοῦ τρεμούσης.* Naso scribentibus heroinis lacrimarum rivos manantes libenter affingit (Her. III, 3. VII, 185; cf. XI, 3 sq.). Propertii autem Arethusa illud acumen Alexandrinum integrum in suam rem convertit V, 3. 3 sq.:

siqua tamen tibi lecturo pars oblita derit,
  haec erit e lacrimis facta litura meis:
aut siqua incerto fallet te littera tractu,
  signa meae dextrae iam morientis erunt.

Deinde e re erit Paeonem Amathusium, incertae quidem aetatis scriptorem, laudare, utpote qui Plutarcho auctore (Thes. c. XX) narrarit maestae Ariadnae in Cypro insula relictae mulieres indigenas litteras obtulisse fictas velut a Theseo ad eam missas (*γράμματα πλαστὰ προςφέρειν, ὡς τοῦ Θησέως γράφοντος αὐτῇ*). En habes herois epistulam! Phaedrae autem epistula Ovidiana eo differt a reliquis — nam de Paridis (XVI) et Acontii (XX) epistularum auctore ambigitur —, quod in ea puella amato iuveni amorem declarat et eum exorat, ut sibi sui copiam faciat. Choricium igitur in hac quaestione noli parvi pendere.

[2] Cf. supra p. 59, quo loco provocare potui ad Euripidis Hippolytum de novercae crimine ambigue loquentem v. 1032 sq.:

εἰ δ' ἥδε δειμαίνουσ' ἀπώλεσεν βίον,
οὐκ οἶδ'· ἐμοὶ γὰρ οὐ θέμις πέρα λέγειν.

thenii narrationis octavae titulus diserte testatur: Ἱστορεῖ Ἀριστόδημος ὁ Νυσαεὺς ἐν α' Ἱστοριῶν περὶ τούτων, πλὴν ὅτι τὰ ὀνόματα ὑπαλλάττει, ἀντὶ Ἡρίππης καλῶν Γυθυμίαν, τὸν δὲ βάρβαρον Καυάραν. Itaque lepida fabella de aegrotante Antiocho Stratonicae novercae amore flagrante, cui nihil fortasse facti subest, multis rivolis fluxit, donec postremo in Heliodori Aethiopicis subsedit (cf. Rohde l. l. p. 52 sq.). Eodem pertinet mythica fabula de infelice iuvene, qui amore superbae puellae ardens, repudiatus manum sibi infert; ad Arsinoen Nicocreontis regis Cypri filiam relata illa, quam Ovidius prorsus aliis personis subicit (Met. XIV, 698 sq.; cf. Rohde l. l. p. 79 sq.)[1]. Parthenii narrationibus XXI et XXII Scyllae fabula exemplum dedisse videtur. Cognata est fabula de Comaetho Pterelae filia (Apollod. II, 4. 7), quam Ovidius (Ib. 359 sq.) cum Scylla componit. Eandem denique heroinam Propertio in Tarpeiae fabula exornanda (V, 4. 19 sq.) obversatam esse supra docui (p. 92)[2]. Similia exempla affatim facile indagabit, qui data opera in hanc rem inquisiverit.

---

[1] In diversis mythis eadem ornamenta et quasi fabularum momenta iterum ac saepius deprehendi sciunt, qui mythicis quaestionibus intenti sunt. Sed cum in 'legendis', quas auctore Welckero vocant, vere mythica fundamenta desint (cf. Welcker Gr. Götterlehr. I p. 95 sq. Rohde l. l. p. 24 sq.), Alexandrinorum poetarum immodicae fingendi licentiae equidem plus ponderis tribuerim, quam Rohde (l. l. p. 97 sq.), qui ipse in Hermesianacte et Euphorione aperta licentiae vestigia detexit. De Euphorione Meinekii iudicium stabit eum 'passim fabulas pro suo arbitrio et consilio' immutasse (l. l. p. 33; cf. p. 55. 146). Absit igitur, ut semper ex Callimacho, qui de se praedicat frg. 442: ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδω, ceteros iudicemus.

[2] Propertius de Tatio, qui Tarpeiam aversatur, canit v. 89 sq.:

At Tatius (neque enim sceleri dedit hostis honorem)
'nube' ait 'et regni scande cubile meï'.
Dixit, et ingestis comitum super obruit armis.

Ὁ τὴν Λέσβου κτίσιν ποιήσας (Parth. XXI) Peisidicen, quae tanquam altera Scylla sceleratae libidini patriam ac deos penates gratificata erat, cantans Achillem puellae conubium detestantem his versibus celebrat:

οὐ δ' ὅ γ' ἔμελλε
τὰ ῥέξειν, ὀλοῷ δ' ἐπαγάσσατο πατρίδος οἴτῳ·
ἔνθ' ἥ γ' αἰνότατον γάμον εἴσιδε Πηλείδαο
Ἀργείων ὑπὸ χερσὶ δυσάμμορος, οἵ μιν ἔπεφνον
πανσυδίῃ θαμινῇσιν ἀράσσοντες λιθάδεσσιν.

Verum hoc loco dissipatas observationes concludens unum notatu dignum denuo tangam necesse est: animum libidini reluctantem eiusque quasi naturam et vim anxie rimari ac ratione frangere conantem; in quo depingendo maxime apud Ovidium utpote uberiorem poetam, cui nonnullas narratiunculas subiunxi, Euripidis auctoritatem detegi posse significavi. Atqui in hac re nihil sane est, quod demireris; quoniam Euripides primus amorem omnium animi perturbationum vehementissimam sollicite de se ipso argumentantem et tanquam sui sibi rationem reddere studentem in scaenam deduxit minime quidem eo sensu, ut recta ratio libidinum impetum cohiberet, id quod facetum illum comicum Atheniensem ad deridendum plus semel inliciebat. Itaque inde ab Euripide toto genere disiunctum habemus amorem merum sensum et amorem animi motum perturbatum, quo accuratius quam elegantius Bulweri iudicium adumbrare conatus sum[1]. — Atque hac observatione simul eis dubitationes evulsas volo, qui praeiudicata et captiosa semper in his rebus opinione circumscripti ac decepti ad explicanda ista ornamenta naturae quasi fidem testentur stili congruentiam neglegentes[2]. An casu evenisse opinaris, ut in similibus antiquis fabulis iisque liberis ab Euripidis auctoritate non occurrant similia? Pindarus certe, qui uberius Hippolytae Acasti uxoris clandestinam libidinem dolosque cantat[3], sibi temperat ab hac amplificatione. Neque Myrtis poetria, cuius similem

---

[1] 'The distinction between love as a passion and love as a sentiment'; cf. Rohde l. l. p. 55. 4. E. Mueller Gesch. d. Theor. d. Kunst b. d. Alt. I p. 148 sq. — Fabulatores quoque Alexandrinos tragici exemplo usos amentis animi perturbationi νόσου nomen indere animadvertisti. At cave, ne inde cum Rohdio (l. l. p. 28), cui Limburg-Brouwer (histoire de la civilis. d. Grecs I p. 151) praeivit, concludas Graecos quemlibet amorem pro morboso animi affectu habuisse. Nam fere in omnibus his exemplis agitur de cupidine naturae morumve legibus repugnante; ne excepto quidem Herculis in Iolen amore, qui Deianirae illicitus videri debuit. Quibus si plura contexere studeam, de amoris natura, qualem Graeci animis comprehenderint, ad philosopham indaginem profecturus videor, quam, licet in regionibus amoenissimis animus peregrinari expetat, ab huius loci angustiis segregare malui.

[2] Subtiliter et acute Rohde (l. l. p. 165) hanc quaestionem tetigit.

[3] Nem. V, 26 (46) sq.; cf. Nem. IV, 56 (91) sq. Apollod. III, 13. 3. Schol. Apoll. Rhod. I, 224. Schol. Arist. Nub. 1063.

fabulam amatoriam Plutarchus (Quaest. Graec. 40, Bergk P. L. ed. III p. 1205) non tam nude et exiliter dat, ut nonnulla omissa esse merito suspiceris, in his haeret. Item hic commemoranda Parthenii narratiuncula quarta decima (*ἱστορεῖ Ἀριστοτέλης καὶ οἱ τὰ Μιλησιακά*) de Cleoboea, quae Anthei obsidis Phobio coniugi dati amore flagrat, libera illa quoque ab eiusmodi coloribus. Quo fortasse insolens et omnis rationis expers libido mulieris, ut quae post repulsam ipsa iuveni vitam crudeliter adimat, denotatur[1]; cum res plane eadem sit in simili fabula de illicito amore, quo Cyno mulier procax ac petulans ad Habrocomen rapitur (Xenoph. Ephes. III, 12). Accedit, quod haec ratio resonat veteris mythi naturam; nimirum luctatio cassa irritaque videri debet, si irati dei incestum libidinum appetitum conflasse putantur. — Euripidi quidem non contigit pacem conciliare inter mythum et vitae veritatem; Venerem omnia ad suum arbitrium regentem inducens prohibuit, quominus exspectatione intenti simus, quonam amantis animi luctatio vergat. Contra Ovidius delicato, quo praeditus est sensu, ubique in fabulis illis amatoriis Veneris aliorumve deorum incitatione tralaticia neglecta removit hoc impedimentum. Alexandrini praeivisse videntur; Veneris iram plerumque reticent[2] in hac re scite a tragico recedentes. Sed quid ego plura? Nonne ipsae breves Hippolyteae fabulae narratiunculae, quas in priore dissertationis parte examinavi (p. 46 sq.), sen-

---

[1] Ad compilatoris brevitatem nolo provocare, quando ipsi Alexandri Aetoli versus hunc amorem illustrantes servati sunt; cf. Meinek. l. l. p. 219 sq. Tamen Euripidis imitatio deprehenditur in eo, quod de casto iuvene, qui Iovem hospitalem veritus mulierem aversatur, Alexander pangit v. 16: *κρήναις καὶ ποταμοῖς νίψετ' ἀεικὲς ἔπος.* Eadem imagine utitur Hippolytus apud Euripidem nutricem propter foedam sollicitationem acriter adortus v. 653: *ἁγὼ ῥυτοῖς νασμοῖσιν ἐξομόρξομαι, | εἰς ὦτα κλύζων.* Cum Senecae Hippolytus novercam amorem fassam increpet v. 715: 'quis eluet me Tanais' e. q. s., non dubito, quin Euripides hoc ornamentum ab eadem Velati scaena mutuatus sit. Itaque ad idem exemplar referendum erit, quod deus vaticinatur v. 13 puellam amati iuvenis genibus advoluturam esse; nam a tam turpi adspectu in ipsam scaenam producendo poetam Velati Hippolyti non abhoruisse antea cognovimus (p. 35).

[2] Commemoratur in Leucippi fabula (Parth. V). — Apollonius Rhodius vix laudari potest, quia veteres epicos in exemplum sumpsit.

tentiam meam egregie adiuvant? Nimirum in illis de Phaedra amori obsistente nihil prorsus legitur; tragoedia potius leviora ornamenta mutua dedit[1].

Iis denique, qui de aliis fabulis cogitent, in quibus Euripides amoris leniter crescentis et animi renitentis ac frustra ad rationem se revocantis exemplum proponere potuerit, sic occurri licet: videri poetam in tribus similibus fabulis[2] res potius ex illicita libidine redundantes, actionem longius provectam, personas iam circa ipsum amoris eventum, ut ita dicam, commorantes proposuisse. Haec conclusio, quae in Stheneboea nulli dubitationi obnoxia est[3], licet Welcker (l. l. p. 780) nutricem Bellerophonti erae amorem ac desiderium, quo absentem concupivisset, vividis coloribus descripsisse probabiliter coniecerit, vero saltem proxima est in Phoenice (cf. Welcker l. l. p. 805). Uni Aeolo hoc loco accuratius examinandae paullisper vacare oportet, non quin Welcker (l. l. p. 861) Grauerti opinionem fabulam auspicatam esse a Canace coram nutrice amorem confitente redarguens unice recte affirmarit circa ipsum pariendi tempus actionem versari, sed quia Macareus inductus est patri persuadere studens, ut filias et filios conubio iungeret, quod Dionysius testatur (Rhet. IX, 11): *ἐν τῷ Αἰόλῳ ὁ Μακαρεύς ἐστιν ὁμιλήσας τῇ ἀδελφῇ καὶ λανθάνων καὶ συμβουλεύων τῷ*

[1] Ut plene sit cumulateque perfecta quaestio, huius loci est commemorare reliquas cognatas fabulas incestas exiliter et carptim narratas: Demodice Crethei uxor Phrixum deperiit (Hygin. Poet. Astron. II, 20), Pallenen pater arsit (Nonn. Dionys. XLVIII, 93 sq.), Menephron cum matre concubuit (Ov. Met. VII, 386); ceterum cf. Hygin. f. 253. — In Pasiphaes foedissima voluptate ipsa repugnantis materiae natura obstitisse videtur, quominus resistentem feminam describerent; cf. Ov. Art. Am. I, 289 sq. Nonn. Dionys. XLVII, 396 sq.

[2] Fabulas, in quibus legitimus Amor iustos triumphos agit, hunc locum non tangere haud longa explicatione eget. Quarum celeberrimae Andromacha et Dictys fuisse videntur, in qua voluptas sensus et amor animum permovens primum in disceptationem a Platone postea sancitam vocantur (cf. frg 342. Colster Diatr. in Eurip. philosophiae locum, qui est d. amor.). — In Cretibus autem Pasiphaes stuprum ut dudum antegressum fortasse in prologo commemoratum est (cf. Jahn Arch. Beitr. p. 238).

[3] Illud quidem Stheneboeae: *νουθετούμενος δ' Ἔρως | μᾶλλον πιέζει* (frg. 668) Alexandrinae Musae valde adrisisse Rohde ostendit (l. l. p. 148 adn.).

πατρὶ τὰς ἀδελφὰς τοῖς ἀδελφοῖς συνοικίσαι κτλ. In qua materia exornanda poeta sane libidinem perniciosis captionibus sophistice indutam ostendere potuit. — Sed etiam magis Ovidianam Canaces epistulam (Her. XI) respici oportet, utpote in qua Euripidis Aeolum expressam esse contendere soleant[1]. Quod iudicium equidem ita circumscribendum existimo, ut sumamus tragoediam quidem quasi fundamenti vices primitus explevisse, verum Alexandrinos materiam hanc ad intestinum opus tractabilem suo Marte polientes aliquatenus certe poetae Romano praeparasse, unde additamenta et haud levis dissensus a tragico exemplari, quem Rohde tetigit[2], sponte explicantur. Etenim uberior in dies ingravescentis furoris illustratio v. 25 sq., cui in tragoedia aptum locum indagare non continget — nam errat Welcker (l. l. p. 867) — Alexandrinam poesin si quid unquam sapit, cui item nutricem animo amorem praesentientem v. 33 deberi non negabis, si modo, quae antea de solitis nutricum partibus disputavi, memineris (cf. supra p. 72). Canacen igitur illis temporibus simili modo atque Myrrham et Scyllam, ut Phaedrae exemplum semper obversaretur, cantatam esse mihi constat; quod iudicium illustrat puellarum perdite amantium in pictura ad viam Appiam inventa illa series[3], in qua componuntur nominibus adscriptis Phaedra Canace Scylla Myrrha Pasiphae[4], cui conferas similes catalogos a poetis confectos[5]. Nam ad ipsam hanc seriem inveniendam

---

[1] Cf. Welcker l. l. p. 860. Birt l. l. p. 400. 408.

[2] L. l. p. 101. 2; cf. p. 129. Ille inconsultius omnem cogitationem de Euripidis imitatione abiectam vult.

[3] Asservatur nunc Romae in museo Vaticano; cf. Raoul-Rochette Peint. ant. inéd. T. 1—5. Biondi Monum. Amaranziani T. III—VII. Jahn Arch. Beitr. p. 245. Dilthey Annal. dell' Inst. 1869 p. 63. — Dilthey Canacen repraesentatam esse putat in pictura Pompeiana Helb. no. 1381 b. (Bullet. dell' Inst. 1869 p. 158) et in pictura Stabiana Helb. N. 1265. (Annali dell' Inst. 1869 p. 63. 2); cf. Rh. Mus. XXV p. 156.

[4] Dilthey Rh. Mus. (l. l.) puellam non nominatam Byblida putat.

[5] Modestinus Anth. Lat. no. 273 I p. 183 R. praeter alias Byblida addit; item Ovidius Art. Am. I, 283 sq. Canacen omittens. — Catalogum paulum variarunt Propertius IV, 19. 11 sq. H. et Vergilius Aen. VI, 441 sq., quem Ausonius (Cupido cruci affixus) imitatur; cf. Dilthey l. l. Miror virum doctum neglexisse alterum Ovidii catalogum Ib. 355 sq.: Byblis Canace Pelopeia Myrrha Nyctimene Comaetho Scylla; cf. Rohde l. l. p. 101. 2.

quin Alexandrina poesis maximi momenti fuerit, non iam dubitandum. — Contra, ut ad Euripidis Aeolum redeam, illic potius incestae libidinis origo, qua iuvenis perfunditur, paucis fortasse in prologo significata esse videtur, si Antiphanis parodiae[1], quam Nauck (Frg. Trag. p. 29 sq.) arcessivit indicante Valckenario, in hac re fides habenda est.

Sed scio fore, quos morae taedeat, dum de recentiore tragoedia disceptem, quam ut gravissimam ad excolendas fabulas amatorias laudare amant[2]. Negari nequit Alexandrinos a recentiore tragoedia multa didicisse[3]; sed praeterquam quod nullius tragoediae titulive mentio exstat, in quam nos animum intendere oporteat, ipsa incesta fabularum materia: lymphata libido effeminateque debacchata, nos semel atque iterum ad Alexandrinorum tempora revocat. De quorum tragoediis quod scimus nostramque quaestionem tangit, his perquam modicis finibus circumscriptum est: Ovidius commemorat Scyllam tra-

---

[1] Macareus vino inebriatus (*παραλαβὼν ποτε | οἶνον στρατηγόν*) sororem oppressit, quod Myrrhae me admonet, quae secundum nonnullos auctores cum ebrio patre concubuit: *καὶ μεθύουσα ἔρωτι ξυνεῖδε μέθην ἄλλην ἐπίκουρον*, ut Nicephorus l. l. narrat (cf. supra p. 80).

[2] Cf. Rohde l. l. p. 35 sq. Jahn Arch. Beitr. p. 245 sq. Dilthey Rh. Mus. XXV p. 155. 157.

[3] Qui Chaeremonis fragmenta a Bartschio (de Chaeremone poeta) illustrata unquam tractavit, scit, quam propinqua cognatione Chaeremon Alexandrinos poetas, quibus ille minime ignotus fuit (cf. B. p. 9), attigerit. In duobis illis maioribus fragmentis, quae Athenaeus XIII p. 608 B et D servavit (cf. Nauck l. l. p. 606. 610), omnes formarum muliebrium veneres ac lenocinia vividis coloribus depinguntur, qui paene a pictoribus sumpti esse videntur argutiis facetissimi salis intertextis. Colorum pigmentis impertit ille orationi facticium quendam et fucatum splendorem, quod Bartsch (p. 31) ex novandi studio illi aetati proprio repetendum esse censet similia in aequalibus detegens. Fragmenta autem ad epicam potius quam ad dramaticam rationem accommodata sunt (cf. B. p. 28). Denique Aristotelem audi Rhet. III, 12. 2: *βαστάζονται δὲ οἱ ἀναγνωστικοί, οἷον Χαιρήμων. ἀκριβὴς γὰρ ὥσπερ λογογράφος* (cf. Welcker l. l. p. 1082 sq.). — Uno exemplo demonstrabo, quo iure Chaeremon iis auctoribus adnumeretur, qui inde ab Euripide alius alius vestigiis institerint. Nam Euripidem Penthei nomen derivatum a *πένθος* denotantem (Bacch. 367. 508) ita deinceps excipiunt: Chaeremon frg. 4 N. Theocrit. XXVI, 26. Oppian. Cyn. IV, 305. Nonn. Dionys. XLVI, 73.

goediam[1], Lycophron scripsit Hippolytum, ut supra monui[2]; mera coniectura est Byblida in scaenam productam esse[3]. Atque adeo ne ullum quidem recentioris aevi testimonium Alexandrini cothurni auctoritati suffragatur; quod altum silentium disertius certe loquitur, quam omnes rumusculi opinabiles. Ad summam igitur ii viri docti, qui omnino Alexandrinas tragoedias mera hemerobia fuisse ac ne usque ad auream quidem litterarum Romanarum aetatem durasse opinati sunt[4], utique adstipulantem me habent.

Sed quaerat quispiam hoc loco, num saltem ad excolendum grande quoddam dicendi genus, subtilem argumentandi rationem, sententiarum splendorem rhetoricum, quibus maxime Ovidius delectatur, praeter rhetorum disciplinam tragoediam alicuius momenti fuisse cum Rohdio (l. l. p. 128) sumamus? Quod equidem sane obstinatius non negarim; quanquam qui hanc dicendi proprietatem Alexandrinis poematis omnino abrogat, inconsiderate agit[5]. Unum gravissimum atque id apud

[1] Trist. II, 393. Ceterum nescio an Ovidius tragoediarum hanc enumerationem mero catalogo usus compleverit, cui nimirum argumenta breviter enarrata intexta erant, quo Birtii dubitatio (l. l. p. 400) infringitur. At Byblida et Myrrham poeta ne nominat quidem.

[2] P. 67. 3. — Rohde (l. l. p. 36. 6) huic tragoediae inventionem epistulae, qua Phaedra utitur, fortasse assignandam esse existumat. Demiror tale effugium, quoniam reliqua Alexandrinorum poesis, qua unice laudem sibi pepererunt et plurimum valuerunt apud posteros, sponte se offert. De qua re nolo repetere, quae ante passim exposui. Taceo de Schmidtii hariolatione (Arch. Ztg. 1847 p. 65), qui in Lycophronis fabula Senecae et Ovidii exemplar detexisse sibi visus est.

[3] Cf. Dilthey Rh. Mus. XXV p. 155. 1. Rohde l. l. p. 36. 95. 1. — Caligulae temporibus fabula Cinyras docta est, quae Myrrhae fata illustrabat auctore Flavio Iosepho (Arch. XIX, 1. 13; cf. Suet. Calig. 57. Welcker l. l. p. 1226 sq.). — Rohde l. l. p. 36 ad eandem materiam Ptolemaei Philopatoris Adonem (Welcker l. l. p. 1269 sq.) referendam esse existumat; non video quo iure.

[4] Cf. Robert Arch. Ztg. 1878 p. 16. Leo l. l. p. 165. — Ceterum cave, ne pantomimo iusto plus tribuas, quem prae ceteris tragicos ignes secutum esse Lucianus de Salt. 61 testatur.

[5] Cf. Rohde l. l. — Non attinet exempli gratia Ovidium cum Theocrito componere, qui ante omnes tam simplici ac nativa dicendi ratione eminet, ut paene ipsam naturam exprimere videatur. Inter

poetam Romanum longe lateque diffusum nunc delibo: eam rationem, qua puellae perdite amantes in solitudine de variis consiliis secum loquentes et vividis interrogationibus interiectis argumenta cum argumentis diligenter comparantes inducuntur, ut Euripidis ῥημάτια δικανικά statim menti occurrant. Simili scilicet amplificatione iam Alexandrinos poetas delectatos esse Medeae amantis descriptio, quam Apollonius Rhodius tertio Argonauticorum libro interposuit, evincit. Nam Apollonius in ipsis animi amore flagrantis affectibus depingendis libenter et pro epico stilo immitique ac feroci ipsius heroinae natura liberius evagatur, ut in hac re studia, quibus aetas illa obsequebatur, appareant. — Medea igitur, cui omnia solita serpentis ignis, qui puerulo illi versuto triumphos comparat, signa suffusa sunt (cf. v. 284 sq. 452 sq.), sola secum collocuta haesitat, utrum amato hospiti faveat necne v. 464 sq.[1]; cruciatur somniis, in quibus Iasonem videt v. 616 sq., experrecta denuo multa secum ipsa locuta nova consilia reputat v. 641 sq.[2]. Denique altera nocte metu perculsa, amati iuvenis maxima pericula subituri recordatione semper revocata somni expers multa secum volvit atque multa, quae modo approbavit, mox repudians itaque inter varia consilia fluctuans v. 741 sq. postremum vivido sermone interno crebris interrogationibus intercepto singula argumenta expendit eorumque pondera aurificis statera examinat, donec huc erumpit: ἐῤῥέτω αἰδώς, ἐῤῥέτω ἀγλαΐη v. 785 sq. Sed anxii animi cruciatus non-

---

Alexandrinos et Alexandrinos magnum nescio quid, immo immensum interesse eos persuasum habeo iudicaturos esse, qui hanc partem historiae litterariae accuratius, quam adhuc factum est, examinaverint.

[1] Nonnulla hoc loco cum Ovidiana Myrrhae fabula componere licet. Medea enim ad sororem contendere decrevit, sed in ipso limine incerta pendet v. 645 sq., cum αἰδώς et γλυκὺς ἵμερος v. 653 se mutuo impugnent; similem scaenam Ovidius describit Met. X, 456 sq. (cf. Cir. 214). Serva claros Medeae gemitus ex interno cubiculo crebros prodeuntes audit v. 664 sq., ut Myrrhae nutrix v. 382 sq. — Ovidii rursus Euripidisque memor observa, quomodo in colloquio cum Chalciope v. 674 sq. Medea, quam pudor impedit, quominus in audaciam prorumpat et praecordia igne vaesano completa aperiat v. 681 sq., vafris verbis sororem eo adigat, ut, quod ipsa mente agitat, illa expromat, consilium nempe hospites adiuvandi v. 693 sq. (cf. supra p. 34. 72).

[2] Cf. v. 471: ἐόλητο νόον μελεδήμασιν.

dum sedati renovantur, dum in eo est, ut ad venena confugiat; sola orci terricula formidinesque et lucis cupiditas blanditer in iuvenilem animum influens omnia moriendi consilia propulsat v. 802 sq. — Ovidii Byblida Myrrhamque tenere videaris; nam in eo quoque illae virgines eandem rationem sequuntur, quod in consiliis secum ponderandis primo loco iusti ac legitimi calculos subducunt, deinde ad illicita consilia, quae efferata libido semper praesto habet, descendunt. Uterque autem, et poeta Romanus (Met. X, 372 sq.) et Graecus (v. 755 sq.), ipsam suspensi animi fluctuationem simili illustrat, quod idem animi affectuum dilucide depingendorum studium manifesto ostendit. Similia autem similique ratione exornata exempla sermonum internorum, quibus amantes sollicitos animos relaxent, poetae Panopolitani Dionysiaca excutienti tibi haud pauca offerentur [1].

Iam longam ac spinosam at haud infructuosam viam, qua refellebam, quae quis forsan contradicturus esset, permensi paratiores erimus ad aestimandam recto iudicio fabulam amatoriam in decimo Apuleii Metamorphoseon libro exstantem, quae ad Senecam eiusque exemplar nos reducet ac toti huic quaestioni quasi fastigium impositura est. — Agitur de fatali novercae amore in privignum, quem ut verum Hippolytum 'probe litteratum atque ob id consequenter pietate modestia praecipuum' scriptor introducit (c. II); noverca 'forma magis quam moribus in domo mariti praepollens' est. Ita igitur Apuleius narrat: 'Sed mulier illa quam diu primis alimentis Cupido parvulus nutriebatur, inbecillis adhuc eius viribus facile ruborem tenuem deprimens silentio resistebat. At ubi completis igne vaesano totis praecordiis immodice bacchatus Amor exaestuabat, saevienti deo iam succubuit, et languore simulato vulnus animi mentitur in corporis valetudine [2]. Iam cetera salutis vultusque detrimenta et aegris et amantibus examussim convenire nemo qui nesciat: pallor deformis, marcentes oculi, lassa genua, quies turbida et suspiritus cruciatus tarditate vehementior'. In sequentibus paullo uberius exponit de propriis morbi notis, quem 'medicorum ignarae mentes' non perspexerint. —

---

[1] Cf. ex. gr. XXXIV, 8 sq. 103 sq.

[2] 'Valetudinem' coniecit Bernhardy.

Historiolae exordium, quomodo mulier primo resistens sensim pedetemptimque libidini manus det, adeo concinit cum reliquis fabulis commemoratis, ut suspicio, quam mox alia ratione fulciam, ultro se offerat tam hanc fabulam e Graecis exemplaribus sublatam esse quam reliquas id genus narrationes Metamorphoseon libris admixtas; quem ad modum auctor ipse operi praefatur: 'at ego tibi sermone isto Milesio varias fabulas conseram'[1]. — Porro sequitur (c. III): 'Ergo igitur impatientia furoris altius agitata diutinum rupit silentium[2] et ad se vocari praecipit filium. Quod nomen in eo, si posset[3], ne ruboris admoneretur, libenter eraderet. Nec adulescens aegrae parentis moratus imperium, senili tristitie striatam gerens frontem cubiculum petit uxoris patris matrisque fratris, utcumque debitum sistens obsequium'. Ex tetrico iuvenis vultu Hippolytus eiusque animus tristis et intractabilis (Sen. 271) continuo recognoscitur. Atque ut noverca hic filii, sic Phaedra apud Senecam v. 609 matris superbum nomen libenter deleret, quia maternum libidini obstat. Dum vero istud 'cubiculum uxoris patris matrisque fratris' intueor, nutricem audio Phaedram compellantem Sen. 171 sq. (cf. supra p. 74):

miscere thalamos patris et nati apparas
uteroque prolem capere confusam impio?

Iam velim ea, quae sequuntur, perattente legas: 'Sed illa cruciabili silentio diutissime fatigata et ut in quodam vado dubitationis haerens omne verbum, quod praesenti sermoni putabat aptissimum, rursum improbans, nutante etiam nunc pudore, unde potissimum caperet exordium decunctatur. At iuvenis nihil etiam tunc sequius suspicatus summisso vultu rogat ultro praesentis causas aegritudinis. Tunc illa nancta solitudinis damnosam occasionem prorumpit in audaciam et

---

[1] Cf. Rohde Verhandl. d. XXX. Vers. d. Philolog. p. 61.

[2] Nutrici famulaeve, coram qua mulier silentium rumpere posset, aptus hic locus fuit; quales partes re vera in plerisque similibus exemplis servatas vidimus.

[3] Sic cum Rohdio (Rh. Mus. XXX p. 277) scribendum; quod, quanquam non bene ad sensum dictum est, codicum litteras: 'in eos ipos sed' bene reddit. Eyssenhardt in textum recepit: 'in eo ipso sed', quod omnino sensu cassum est. Oudendorp: 'in eo ipso scilicet'. Sed voculam 'ipso' lubentissime propelles.

ubertim adlacrimans laciniaque contegens faciem voce trepida sic eum breviter adfatur' e. q. s. — Quae hic fuse narrantur, ea omnia in Senecae tragoedia reperiuntur. Nam eodem cruciabili prooemio ea scaena exornata est, qua Phaedra privignum clanculum adit blando adloquio delenire cupiens (v. 592 sq.; cf. supra p. 33). Identidem illa, cui 'ora coeptis transitum verbis negant' (v. 602) aptum exordium frustra circumspicit; idemque demonstravi (l. l.) Ovidianam puellam significare. Atque Senecae Hippolytus item nihil suspicatus simili ratione nutanti subvenit v. 608: 'committe curas auribus, mater, meis'.

Ipsa quidem confessio ab Apuleio in brevius contracta; nimirum fabulae narratorem legentium exspectationi erectae adeo providere, ut mulierem nulla circuitione usam statim amoris voces audacter effundentem fingat, consentaneum est. Tamen etiam nunc in eius verbis relicta sunt, quae originem manifesto produnt; nam post prooemium de unica salute in iuvene posita, qui oculis suis incendium commoverit, pergit: 'Ergo miserere tua causa pereuntis nec te religio patris omnino deterreat, cui morituram prorsus servabis uxorem. Illius enim recognoscens imaginem in tua facie merito te diligo. Habes solitudinis plenam fiduciam, habes capax necessarii facinoris otium. Nam quod nemo novit, paene non fit'[1]. — Phaedra, postquam identidem ad flebiles preces descendit, postremo iuvenem supplex orat, ut amantis, quae in illum unum exardescat, misereatur; illum diem aut doloris aut vitae finem facturum esse Sen. v. 670 sq. Neque religionis excusatio, cui mulier illa antevertit, in Hippolyto desideratur, qui matri oranti, ut viduam 'sinu receptam supplicem ac servam' tegat (v. 622), ita occurrit v. 623 sq.: 'summus hoc omen deus Avertat; aderit sospes actutum parens' (cf. supra p. 34). Sed, quod rem conficit, femina illa incesto latebram quaerit peraeque argumentata se patris imaginem in filio recognoscere, atque Senecae Phaedra v. 646 sq., quae hanc sententiam fuse explicans

[1] Crederes extremis his verbis lubricam Euripideam morum doctrinam captiose ratiocinari. Consimiliter quidem Sophoclis Deianira Trach. v. 596 sq.: *ὡς σκότῳ | κἂν αἰσχρὰ πράσσῃς, οὔποτ᾽ αἰσχύνῃ πεσεῖ.* Nasonis Phaedra affirmat culpam tegi posse, 'nec labor est, celare licet' (Her. IV, 137 sq.).

transitum sibi parat ad verum ignem aperiendum. — Deinde quidem Apuleii fabula propriam viam ingreditur; nam si discesseris ab externis lineamentis: repulsa novercae odio calumniisque, quae conservata sunt, ceteroqui transfigurata est in veram historiam iudicialem ac forensem.

Verum hoc mea plurimum refert: in Apuleii fabula argumenti summam, qua illa Romanae tragoediae scaena continetur, recognovimus, ut, quoniam de Graeca fabulae origine dubitari nequit, iam novo argumento colligatur Euripidem hanc scaenam invenisse. Cui iudicio non video, quid melius succurrere possit, quam ipsius Apuleii verba fabulae praefixa: 'I a m l e c t o r o p t i m e, s c i t o t e t r a g o e d i a m, n o n f a b u l a m l e g e r e e t a s o c c o a d c o t h u r n u m a s c e n d e r e'. Quid multa? De huius prooemii pondere nos non posse puto ambigere, quippe quod Madaurensis certe non de suo ingenio vel doctrina adiecerit, cum et tota actionum implicatio fabula romanensi vel Milesia dignissima pro tragoedia, quam ne dictio quidem redolet, nimis vehemens sit et altera fabulae pars tragicum colorem adeo amiserit, ut etiam nutricis partes demptae sint, altera maximam partem in iudiciis ac foro agatur. Attamen tota fabella ex una eademque Graeca officina prodiit, cuius rei Heliodori fabula de Cnemone (Aeth. I, 9 sq.), quam supra iam tetigi ac statim pertractabo, satis aperto indicio est utpote ab eodem similive archetypo pendens. Itaque non dubito, quin illi fabulae, quae antiquitus magna ex parte ad Hippolyti Velati exemplar conficta a variis manibus transfigurata est, donec hanc, quam tenemus, formam induit, olim ut in Parthenii narrationibus adscriptum fuerit: ἱστορεῖ Εὐριπίδης aut tale quid; quae inscriptio casu in uno alterove exemplo usque ad Apuleii tempora duravit[1]. Neque igitur ad extremum id parvi aestimandum, quod Apuleius (c. V) narrat novercam probosam sollicitationem mentitam ultro finxisse privignum sibi ob detectum flagitium gladio comminatum esse, quandoquidem consimilem Senecae fictionem[2] Euripidi fortasse vindi-

---

[1] Apuleium ipsam Senecae fabulam ante oculos habuisse, si ea, quae supra exposui, reputaris, non amplius affirmabis.

[2] Seneca differt eo tantum, quod Hippolytus gladio pudicam terruisse dicitur v. 728. 891.

candam supra iam notavi (p. 36). — Accedit, quod in Cnemonis fabula, in quam nunc accuratius inquiram, gladio iuveni prae terrore elapso, ubi ille ab ancillula novercae dolis opitulante instigatus, ut matrem in manifesto adulterio deprehendat, noctu subito usque ad lectum genialem prorumpit et patrem exsilientem agnoscit (c. XII), postea in iudicio ad insontem opprimendum utuntur (c. XIII). Quae fictio longius recedit ab exemplari, quia noverca gladio non in ipsa stupri falsa criminatione utitur, propius abest, quia gladius quasi pignus culpae locum invenit.

Sed etiam ad alterum locum diligenter pensitandum Apuleii fabula invitat. Etenim Cnemon narrat, quomodo noverca se a Panathenaicorum celebratione reducem veste sollemni coronaque condecoratum vixdum visum libidine praeceps amplexa sit c. X: *ἀλλ' ἀπὸ γνώμης τῆς ἐπιθυμίας προςέτρεχε καὶ περιβαλοῦσα ὁ νέος Ἱππόλυτος, ὁ Θησεὺς ὁ ἐμὸς ἔλεγε*[1]. — Iuvenem igitur simul Theseum et Hippolytum salutarit? Sensum nullum esse perspexit Coraïs (II p. 19); ipse protulit *ὁ Θησέως υἱός*, quod in tam vivida salutatione mirum quantum languet et claudicat. Exclamationi autem item repugnat Rohdii coniectura (l. l. p. 458. 5): *ὁ νέος Ἱππόλυτος, ἐρρέτω ὁ Θησεὺς ὁ ἐμός*, in qua praeterea *ὁ ἐμός* ad Theseum relatum maxime offendit. Neque verborum *ὁ νέος* rationem viros doctos accurate sibi reddidisse contendo[2]. Ne multus sim: nonne Phaedra adest, quae affirmat se Thesei pueri vultus priores amare, cum in Hippolyto genitor totus sit? (Sen. v. 646 sq.) Nominibus propriis igitur inter se mutatis scribendum: *ὁ νέος Θησεύς, ὁ Ἱππόλυτος ὁ ἐμός*. Quod scriba parum intellexit; credo, quia eius animo Hippolytus alacris iuventutis exemplar potius obversabatur. Coniectura autem munitur et constabilitur eo, quod in Apuleii fabula idem eiusdem scaenae Euripideae acumen

---

[1] Similis est Aristaeneti locus II, 13. p. 166 H. Cf. Dilthey d. Call. Cyd. p. 73.

[2] Iuvenis significatio hic prorsus superflua est. Alterum autem sensum, quo Prometheus *τοὺς νέους θεούς* citat (Aesch. Prom. 960; cf. v. 955) in concitata allocutione nimium frigere nemo est, quin consentiat. Nescio praeterea, an antiquis auctoribus aeque ac nostris is usus verbi insolitus fuerit, cui Goethe: der neue Pausias, der neue Paris, die neue Melusine, civitatem dare conatus est.

8

manifesto denotatur [1], ut iam asseverem hanc scaenam conclamatissimam fuisse et omnium memoriae inhaesisse [2]. — Nonne etiam cognoscitur, quam praepotens cothurni auctoritas fuerit, si pater sine ulla dubitatione uxori privignum falso accusanti fidem habet graviterque filium castigat? Narrator addit c. XI: *ὡς δὲ ἐνεπέπληστο τῆς ὀργῆς, ἀλλὰ νῦν γε ἔφην, ὦ πάτερ, εἰ καὶ μὴ πρότερον, δίκαιος ἂν εἴην τὴν αἰτίαν τῶν πληγῶν μανθάνειν. ὁ δὲ μᾶλλον παροξυνθεὶς ὢ τῆς εἰρωνείας φησί· τὰς πράξεις αὑτοῦ τὰς ἀνοσίας παρ' ἐμοῦ βούλεται μανθάνειν.* Simillime Euripides scaenam exornavit, in qua Theseus, postquam filium exsecratus est, advenientem neque quidquam suspicantem vehementius increpat (Hip. 916 sq.).

Unus de habitu et ornatu Hippolyti relinquitur locus, qui ad Senecae fabulam denuo perscrutandam nos adhortabitur. Audiatur igitur postremum Cnemon narrans c. X: *Παναθη-*

---

[1] Vix necesse est subnotare non ipsam tragoediam Heliodoro ad manus fuisse, sed quod dudum constat intervenisse Alexandrinos; quorum vestigia ornamentis praecipue impressa alio loco adumbravi (p. 64 sq.). Ut vero etiam magis appareat ex simili archetypo Apuleii et Heliodori fabulas fluxisse, nonnulla addo: utrobique nutrix omissa est; ut apud Apuleium servus, ita hic serva novercae calumniis ministram se praebet; res utrobique in iudicium adductae fuse narrantur. Iuvenem insontem remoto iudicandi taedio cuncti iubent 'lapidibus obrutum publicum malum publice vindicari', ut Apuleius c. VI narrat. Similem scaenam Heliodorus describit c. XIII.

[2] Fortasse haec ipsa scaena agnoscenda est in pictura Pompeiana Helb. no. 1300, quae sic describitur (cf. Dilthey Rh. Mus. XXV, p. 157): Puella in genua procumbens suppliciter dextram tollit sinistram pectori imponens; vultu desperato intuetur iuvenem, qui in vehementi tumore oculis late diductis ab illa aufugere videtur simul gladium ei intentans. — Quae omnia egregie concinere cum scaena, quam Seneca illustrat, fabularum auctores respiciunt, nihil opus est probare. Tamen, dum delineationem vel ipsam picturam videro, iudicium in medio relinquam; praesertim cum de figuris in pictura retro positis quaestio sit. Nam Helbig commemorat feminam, quae e muro scaenam prospiciat et duo obscura capita, Dilthey (l. l.) puerum clamantem manum tollentem et servum. Quae non tam meae interpretationi obstrepunt, quam Diltheyi de Byblide cogitantis; adde, quod ut illam in scaena principali agnoscas, neque Ovidius neque alius auctor suadet. Alii alia etiam incertiora coniectarunt: Helbig Achillem et Deidamiam putavit; Minervini (Bullet. Napolit. I p. 75) Alcmaeona et Eriphylen.

ναίων τῶν μεγάλων ἀγομένων — ἐτύγχανον μὲν ἐφηβεύων, ᾄσας δὲ τὸν εἰωθότα παιᾶνα τῇ θεῷ καὶ τὰ νενομισμένα προπομπεύσας, ὡς εἶχον στολῆς, αὐτῇ χλαμύδι καὶ αὐτοῖς στεφάνοις ἔρχομαι οἴκαδε ὡς ἐμαυτόν. ἡ δὲ ἐπειδὴ τὸ πρῶτον εἶδεν κτλ. Alter is est Troezenius heros, qui mysteria celebrans novercae amorem inurit; atque istum fabulae auctori re vera primum ante oculos fuisse Phaedrae epistula vincit Ov. Her. IV, 67 sq.:

Tempore quo nobis inita est Cerealis Eleusin,
  Gnosia me vellem detinuisset humus.
Tunc mihi praecipue, nec non tamen ante placebas:
  acer in extremis ossibus haesit amor.
Candida vestis erat, praecincti flore capilli,
  flava verecundus tinxerat ora rubor.

Totus locus egregie concinit cum Heliodoro; adeo, ut in eisdem rebus a servata Euripidis Hippolyto recedat. Nam si Hippolytus non tum primum novercae placuit, consentaneum est eum non ut in Coronifero (v. 24 sq.) Athenas ad sollemnia celebranda migrasse, quod Ovidius re vera non dicit, sed antea illic iam commoratum esse. Quod, si omnes rationes, quibus poeta tragicus potuerit rem instituere, reputaveris, unice meae coniecturae succurrere concedes in Hippolyto Velato scaenam fuisse Athenis [1]. Iam cum Euripidem illic de Hippolyti cultu aliquid indicasse certum sit, Leo (l. l. p. 177) existumavit Senecam v. 651 sq.:

quis tum ille fulsit! presserant vittae comam
et ora flavus tenera tinguebat pudor

hoc ad Theseum transtulisse. Equidem nolim continuo disceptare, quoad Seneca ad ipsum tragicum se adstrinxerit; praesertim cum Alexandrini, ut vir doctus animadvertit, in Thesei cultu illustrando praeiverint. Nam Senecae versum 648: 'cum prima puras barba signaret genas' manifesto cum Callimacho frg. 44 congruere Naeke (de Call. Hec. p. 88) dudum docuit. Idem iure suspicatus est Battiaden iam ut Senecam (v. 654) Theseum cum Apolline comparasse [2], ne diu haeream in Apollinis

---

[1] Ovidium utpote in his rebus neglegentem, cui praeterea servata Euripidis fabula cum heroe suo proprie Troezenio bene nota fuerit, noli mirari postea (v. 107) Phaedram Troezene versantem fingere; cf. Birt l. l. p. 403. 2.

[2] L. l. p. 89 sq. Cf. Schneider Call. II p. 179.

cum Sole commutatione (l. l.) Alexandrinis usitata (cf. Schneid. l. l. p. 199). — Eandem autem artem redolet tam ille flavus pudor tenera ora tinguens (Ov. l. l. Sen. l. l.), qualem poeta Anacreonteus[1] Bathylli genis pictorem obducere praecipit, quam capilli nulla lege iacentes et incomptus decor, quem et Ovidius (l. l. v. 75 sq.) et Seneca (v. 657. 803) celebrant. Nam cogitata habitus neglegentia respondet si quid unquam exculto pingendi artis amori ac studio. Itaque poeta ille cincinnos incompositos in pueri sui imagine effictos vult[2], et picturae Pompeianae abunde talia illustrant. — Iam igitur paratior ad examinandos duos Ovidii locos procedo. In altero ita componit Theseo filium Art. Am. I, 509 sq.:

Forma viros neglecta decet. Minoida Theseus
  abstulit, a nulla tempora comptus acu.
Hippolytum Phaedra, nec erat bene cultus, amavit.

In quibus poeta neutiquam libere lusit; nam de Thesei capillorum cultu plura scimus[3]. — Iterum vero pater et filius conferuntur in distichis illi epistulae loco praecedentibus:

Hoc quoque fatale est, placuit domùs una duabus;
  me tua forma capit, capta parente soror.
Theseïdes Theseusque duas rapuere sorores:
  ponite de nostra bina tropaea domo[4].

Phaedrae provocatio ad fatum artificium est tragoedia dignum; quo Euripidem re vera usum esse Seneca documento est v. 665 sq.:

---

[1] Anacr. XVI, v. 18 sq. Bergk P. L. ed. III. p. 1055.

[2] Anacr. l. l. v. 6 sq. Cf. Anth. Pal. XII, 192.

[3] Plutarchus (Thes. c. V) de Theseo narrat: *ἐκείρατο δὲ τῆς κεφαλῆς τὰ πρόσθεν μόνον, ὥσπερ Ὅμηρος ἔφη τοὺς Ἄβαντας· καὶ τοῦτο τῆς κουρᾶς τὸ γένος Θησηῒς ὠνομάσθη δι' ἐκεῖνον.* Cf. Schneid. Call. II p. 184. Naeke l. l. p. 159.

[4] Haud temere conicere videor poetam Alexandrinum nescio quem Thesei in Creta versantis res gestas illustrantem eius pulchritudine fuse depingenda exemplar proposuisse, ad quod fortasse revocanda sint diserta de Thesei Ariadnae raptoris pulchritudine testimonia: Hygin. f. 270. Serv. Verg. Aen. VI, 14. Mythogr. Vatic. I, 43; II, 124. Eustath. Dionys. Perieg. 1017. Choric. ed. Boiss. p. 158. — Catullus (c. LXIV) sparsim ad herois pulchritudinem alludit (cf. v. 98. 175).

domus sorores una corripuit duas,
te genitor, at me natus.

Ab Euripide igitur, qui patrem et filium primus comparatione coniunxit, Alexandrini poetae profecti sunt ad exornandum hoc acumen; quorum Musam Seneca deinceps scaenae Euripideae adspirare iussit.

Senecae vero hic poetam Alexandrinum, qui Hippolyti fabulam seorsim tractavit, — nam de hac re semper quaestio est — ad manum fuisse, in hanc sententiam eo pronior sum, quo planius in sequente cantico (v. 736 sq.), quod Hippolyti pulchritudinem laudibus effert, Alexandrinus color praevalet. Ipsa materia a Graecae tragodiae dignitate alienissima, licet Euripides mulieris formae praestantiae celebrandae nonnunquam studuerit (cf. Bartsch l. l. p. 22). Neque in Hippolyto quidquam huiusmodi invenitur; invenitur in hypothesi. Nimirum Alexandrinos corporis pulchritudinem libenter praedicasse cum constat, tum statim ultro probabitur. Interim memineris me antea ostendisse (p. 103) hos poetas vitae veritati studentes amorem plerumque tanquam ex ipsa animi affectione progigni finxisse Veneris partibus omissis, cuius vices iam iuvenis pulchritudinem, quae libidinem inflammaret, tueri consentaneum erat. Ab his igitur utique stat Seneca. Nescio an etiam in eo, quod Hippolytum novercam fugientem fingit manifesto ab Euripide recedens (cf. supra p. 42); eandem fugam commemorat Plutarchus (l. l.) et de Cauno sororem detestante idem cecinit Nicaenetus (cf. supra p. 69). — Singulorum examinatio item Alexandriam nos reicit. Etenim Alexandrinis máxime siderum similia (v. 743 sq.) in deliciis fuisse videntur[1]; et eorum doctrinam artemque pariter sapit ille Hesperus idemque Lucifer (v. 751 sq.)[2] et comparatio cum deis, quorum figuras ars praeformavit (v. 753 sq. 800 sq.)[3]. Neque dubito adnumerare illam chori par-

---

[1] Cf. Apoll. Rhod. Arg. I, 774 sq. III, 957. Musaei Her. et Leand. 22.

[2] Cf. Apollod. περὶ θεῶν frg. 2. Mueller F. H. G. I p. 428. Callimach. Hec. frg. 52. Cir. 352. Catull. LXII, 35. Cinnae frg. 8 L. M. alios.

[3] Cf. Rohde l. l. p. 155 sq. Intonsi Apollinis Bacchique crines: Tibull. I, 4. 37 sq.; cf. Ov. Met. III, 421. Amor. I, 14. 31 sq.

tem, in qua poeta cogitationem de forma ancipite bono mortalibus parum tuta illa aviis locis (v. 777 sq.) illustrat, quam Propertius in Hylae carmine (I, 20) lepide exornat. — Sed cum augurer fore, qui talia non seorsim a certo quodam certi argumenti poeta originem duxisse, sed per omnes poesis fines manasse ac propagata esse contendant (cf. Leo l. l. p. 165. 7), certiora subsidia circumspicienda sunt. Quae si seniorem Philostratum laturum affirmo, id miraculo esse nequit, quoniam antea iam in descriptione Hippolyteae imaginis (II, 4) Alexandrinos colores suspicatus sum (p. 58). Ubi igitur de herois corpore foede deformato exposuit, exclamat ille: *φεῦ τῆς ὥρας, ὡς ἄτρωτός τις ἐλελήθει οὖσα· οὐδὲ γὰρ νῦν ἀπολείπει τὸ μειράκιον, ἀλλ' ἐπιπρέπει τι καὶ τοῖς τραύμασιν* pulchritudinis, in qua describenda Senecam multum esse vidimus, manifesto rationem habens; quo pariter tendit Chariton Aphrodisiensis (I. 1) praeter aliorum heroum pulchritudinem Hippolytum laudans, cum quo Chaeream *μειράκιον εὔμορφον, πάντων ὑπερέχον* comparet. Atque ne tantum amplificantis sophistae lusum in Philostrati verbis suspiceris, inspice Senecam, qui nuntium in fine tristis narrationis exclamantem facit v. 1110: 'hocine est formae decus?' Phaedra item pulchritudinem elapsam deplorat v. 1173 sq.: 'heu me, quo tuus fugit decor Oculique nostrum sidus?' Theseus ita v. 1269 sq.:

haecne illa facies igne sidereo nitens
inimica flectens lumina? huc cecidit decor?

Ex quo efficitur cogiturque similem sententiam in exemplari inventam esse, quam Philostratus picturae ecphrasi accommodavit. — Fallorne an in hunc ipsum locum egregie quadrat etiam illud: formam breve exigui temporis bonum esse[1], quam sententiam Seneca in cantico modo laudato et illic quidem incommode tractat? (v. 761 sq.). Adspersit certe poeta Romanus huic loco lumina vere Alexandrina v. 764 sq.:

non sic prata novo vere decentia
aestatis calidae despoliat vapor,
saevit solstitio cum medius dies
et noctes brevibus praecipitant rotis;

[1] Cf. Tibull. I, 4. 36: 'formae non ullam fata dedere moram'.

languescunt folio ut lilia pallido,
et gratae capiti deficiunt comae
et fulgor teneris qui radiat genis
momento rapitur nullaque non dies
formonsi spolium corporis abstulit.

Similia eaque conditiora Stratonem Musa puerilis docuit Anth. Pal. XII, 195:

Ἄνθεσιν οὐ τόσσοισι φιλοζέφυροι χλοάουσι
λειμῶνες, πυκιναῖς εἴαρος ἀγλαΐαις,
ὅσσους εὐγενέτας, Διονύσιε, παῖδας ἀθρήσεις,
χειρῶν Κυπρογενοῦς πλάσματα καὶ Χαρίτων.
Ἔξοχα δ' ἐν τούτοις Μιλήσιος ἠνίδε θάλλει,
ὡς ῥόδον εὐόδμοις λαμπόμενον πετάλοις.
Ἀλλ' οὐκ οἶδεν ἴσως, ἐκ καύματος ὡς καλὸν ἄνθος,
οὕτω τὴν ὥρην ἐκ τριχὸς ὀλλυμένην

et iterum l. l. 234:

Εἰ κάλλει καυχᾷ, γίνωσχ' ὅτι καὶ ῥόδον ἀνθεῖ·
ἀλλὰ μαρανθὲν ἄφνω σὺν κοπρίοις ἐρίφη.
Ἄνθος γὰρ καὶ κάλλος ἴσον χρόνον ἐστὶ λαχόντα·
ταῦτα δ' ὁμῇ φθονέων ἐξεμάρανε χρόνος.

Bucolicus poeta fragilem pulchritudinem ita illustrat Theocrit. Id. XXIII, 28:

καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει.

v. 30: *λευκὸν τὸ κρίνον ἐστί, μαραίνεται ἁνίκα πίπτῃ.*

Nonnus denique de formosa virgine canit Dionys. XXXIV, 108 sq.:

παρθενικὴ χαρίεσσα, τεαὶ μεθέπουσι παρειαὶ
εἰαρινὸν λειμῶνα, τὸν οὐ χρόνος οἶδε μαραίνειν

(cf. Propert. V, 5. 59 sq.). Haud fortuito autem Seneca primo loco prata laudat. Nam cum Euripides iuvenem in puro prato ambulantem et flores decerpentem ostenderit, nihil mirum si Alexandrinus ille poeta potissimum hanc imaginem ascivit. Testem iterum Philostratum excito (l. l.): *λειμῶνες δ' ἐν ὥρᾳ μειρακίων, οὓς ἀκηράτους ὠνόμαζες*[1], *μαραίνουσιν ἐπὶ σοὶ τὰ ἄνθη.* — Comparatio igitur inter prata languescentia, per quae formosus iuvenis infelici tractu rapitur, et fragilem

[1] Non dubito, quin in exemplari Alexandrino versus isti Euripidei (Hip. 73 sq.) ex more illorum poetarum tecte denotati fuerint.

herois pulchritudinem ita amplificata fuisse videtur, ut prata tanquam maeroris tabe confecta marcescere dicerentur; qualia Bionis discipulus canit Mosch. Id. III, 31 sq.: *σῷ δ' ἐπ' ὀλέθρῳ | δένδρεα καρπὸν ἔριψε, τὰ δ' ἄνθεα πάντ' ἐμαράνθη*[1]. Sophista quidem a Toelkenio, qui huic loco marcentia serta, quae pueri capitibus detrahant, subiecit[2], discere potuit, qua fere ratione commenticia imago perfecta redderetur. Nam quis est, quin intellegat sophistam, cum personas fingeret, inepte servasse exemplaris verbum *μαραίνειν*? Actio desideratur[3]. Mirandum igitur, quod hae ineptiae viris doctis unquam fucum facere potuerunt[4]. - Accommodatior sequens imago videri possit: *νύμφαι τε αἱ σαὶ τροφοὶ τουτωνὶ τῶν πηγῶν ἀνασχοῦσαι σπαράττουσι τὰς κόμας ἀποβλύζουσαι τῶν μαζῶν ὕδωρ*, quamquam profluentem vel demanantem fontium aquam ineptius quam elegantius ille excogitavit. Legerat fortasse Hippolyto inter venatum fontes nymphasve frigidam aquam praebuisse, unde nymphae *αἱ σαὶ τροφοί*[5] originem duxerunt; quae amplius, ut affingeret mammas nutrientes et aquam effundentes, eum impulerunt. Has quidem argutias ad significandum luctum parum aptas esse non sensit. At ut recte modo conclusisse me credas, Ovidius fidem obligat, cuius Phaedra ita scribit v. 173:

sic tibi dant nymphae, quamvis odisse puellas
diceris, arentem quae levet unda sitim!

---

[1] Cf. Anth. Pal. V, 144. v. 5: *λειμῶνες, τί μάταια κόμαις ἔπι φαιδρὰ γελᾶτε;* Helbig Rh. Mus. XXIV p. 510.

[2] Ueber d. Unterschied. d. antik. u. modern. Malerei p. 13.

[3] Praecedit intolerabilis imago: *σκοπιαὶ μὲν γὰρ αὗται, δι' ὧν ἐθήρας ξὺν Ἀρτέμιδι, δρύπτονται τὰς παρειὰς ἐν εἴδει γυναικῶν*. Qui luctus gestus Alexandrinae ac recentiori poesi utpote minus moderatae conveniens, ab antiquorum pictorum simplicitate alienissimus est.

[4] Huic exemplo possum alia similia adstruere; sed nolo immoderatius evagari. Ceterum fictionis via ac ratione detecta susque deque habendum est, utrum talia ab artificibus potuerint repraesentari necne. Friederichs, qui praepropere prati figuram omnino condemnavit (d. Philostr. Bild. p. 99), iure Brunnio bilem movit (Fleck. Jahrb. Suppl. IV, 1861 p. 289). Sed cf. Helbig l. l. p. 511. Matz de Philostr. in describ. imag. fide p. 2. 76 sq.

[5] Cave ne his verbis, quibus sophista remotum aliquod *μυθολόγημα* iactare videtur, altiorem sensum subicias.

Itaque, in quo rei cardo vertitur, poeta ille Alexandrinus nymphis re vera quasdam partes dedisse videtur; quo spectat Senecae vaticinatio v. 774 sq.: 'te nemore abdito — cingent turba licens naides improbae'. — Quae omnia contendo mutuo se lumine illustrare. Accedit denique, quod Seneca (v. 1080 sq.) monstro subito obviam currente fatalem ruinam, qua Hippolytus de curru praecipitetur, adductam esse fingit, atque id ab Euripide (Hip. 1232 sq.) recedens; quem eundem eventum Philostratus sumit. Iam vero prompta est coniectura Senecam, cum virilem corporis formam eadem ratione, qua Ovidii Phaedra eundem heroem celebrans (Her. IV, 79 sq.), legentium oculis subicere conetur (v. 809 sq.), non ipsum Ovidium sed eius exemplar exscripsisse. Etenim similis illustrandi ratio in Scyllae fabula [1] probat talia ad tumidum Alexandrinorum in depingenda corporis pulchritudine apparatum pertinuisse.

Restat alter Romanae tragoediae locus, quo nutrix amoris morbi tacitique desiderii signis enumerandis immodice se extendit (v. 36 sq.), quam molestam loquacitatem pro novo argumento indiciis quasi externis adicere licet, quibus in altera disputationis parte nisus suturam adventiciae artis in hac scaena latere suspicatus sum (p. 29). Nam optimus quisque tragicus poeta in talibus rebus nude et tenuiter denarrandis non immorabitur, ut qui actionem semper circumspiciat, cui animus attendatur. Itaque Euripides id quidem in transcursu tangit Phaedram cibo abstinere neque quidquam idem dubiam semper appetere [2], alia, quae poeta Romanus enarrat, ipsi scaenae potius et actioni ad illustrandum dat [3]. Alia denique huic Senecae scaenae assuta esse, quae solis serioris aetatis eroticis propria sint, de Ciris exemplari disputans iam significavi (p. 87 sq.): ut aestum tacitum, qui vultu proditur; lassas genas, nocturnas querelas, pallida ora, marcidos oculos, crebras lacrimas (v. 362 sq.). Quo pertinent etiam v. 99—111, quibus Phaedra ipsa animi sui aegrotationem et perturbationem fuse depingit. De quibus ornamentis nolo multa verba facere, cum praesertim exhausta

---

[1] Ov. Met. VIII, 25 sq. Cf. Prop. II, 1. 5 sq.
[2] Cf. Sen. 373, Eur. 135 sq. 275. — Sen. 365, Eur. 183.
[3] Cf. Sen. 367 sq., Eur. 170 sq. — Sen. 370 sq., Eur. 198 sq.

sit cum pulvisculo haec materia a viris doctis [1]. At Apulcii memoriam refricatam velim, quippe qui impudicam illam novercam, alteram Phaedram, saevienti deo sensim succumbentem describat et ista salutis vultusque detrimenta, quae et aegris et amantibus examussim conveniant: pallorem deformem, marcentes oculos, lassa genua, alia minutatim consectetur. Vaces postremum eius loquacitati: 'Crederes et illam fluctuare tantum vaporibus febrium, nisi quod et flebat. Heu medicorum ignarae mentes! Quid venae pulsus, quid caloris intemperantia, quid fatigatus anhelitus et utrimquesecus iactatae crebriter laterum mutuae vicissitudines? Di boni! Quam facilis licet non artifici medico, cuivis tamen docto Veneriae cupidinis comprehensio, cum videas aliquem sine corporis calore flagrantem'. — Ex quibus omnibus non amplius dubito concludere in exemplari illo Alexandrino, cuius certa vestigia antea detexi, Cressam puellam, omnium perdite amantium exemplum, omnibus ornamentorum illorum luminibus decoratam fuisse; contra Senecam hoc exemplari usum male sedulum ornamenta a tragica Camena alienissima fabulae suae parum aptis locis admiscuisse eisque praeterea cum coloribus scaenisve Euripideis pingui, ut aiunt, Minerva commutatis concinnitatem scaenarum turbasse.

Denique eiusdem adventiciae artis vestigia tenere mihi videor in sequente scaena, qua Phaedra solitos amictus aspernans in silvas ferri et venatum ire expetit (v. 387 sq.), qualia Euripides quoque denotat (cf. v. 201 sq. 215 sq.). Sed poeta Romanus rem faceto quodam acumine condit, cum Hippolyto Amazonis filio puellam Amazonum habitu procedere expetentem accommodat (v. 399 sq.); quod tragico exemplari eo confidentius abrogo, quo planius iunctura male occulta compilatorem prodit. Nimirum comae solutae, quas illa temere iactas collum umerosque perfundere cupit (v. 394), manifesto obstrepunt Amazonum comis in nodum religatis (v. 401 sq.). Alterum sine dubio ab Euripide (cf. v. 202) mutuatus est; alterum — unde habet? Alexandrinos eroticos scis, cum illo praecipue tempore venandi studium ac voluptas floreret [2], fastidiosas

[1] Cf. Dilthey l. l. p. 70 sq. Rohde l. l. p. 157 sq. Brevius Byblis talia signa enarrat Ov. Met. IX, 535 sq.

[2] Cf. Helbig Untersuchung. p. 274 sq.

venatrices Dianae comites, Amoris telis illas quoque postremo succumbentes, in deliciis habuisse[1]; quibus eos alias puellas, si per materiam liceret, aliquatenus adaequasse appositum ad persuasionem est. Itaque Vergilius, ut qui in Didus descriptione diligenter Alexandrinorum vestigia legerit[2], Elissam venatico ornatu indutam progredientem ostendit (Aen. IV, 136 sq.) non fortuito ad venatum recurrens, quo rem ad exitum perducat; et Ovidiana Phaedra Atalantam haud temere laudans (Her. IV, 99) iuveni in silvis moranti affirmat v. 103 sq.:

Ipsa comes veniam, nec me salebrosa movebunt
saxa, nec obliquo dente timendus aper.

Alexandrinos igitur quidni statuamus Cressam puellam re vera Amazonum habitu per silvas cursantem et volitantem depinxisse?[3] — Amoris praedicationem, pueri lascivi immodiceque bacchantis, iis ultro concedes; nisi perverse sumis poetam Romanum in choro v. 274 sq. deorum heroumque vitas perlustrantem, quo Cupidinis parvuli gloria famaque penetraverit, exempla utique ex suae doctrinae apparatu protulisse. Apollinis enim exemplum amore inflammati armenta Admeti pascentis, quo modo primi Alexandrini fabulam exornaverunt[4], si qui parvi pendunt, num forte eis poeta item circa vilem patulumque orbem versari videtur, si narrat Iovem bovis formam indutum et Europam per mare auferentem ungula lentos remos imita-

---

[1] Cf. Dilthey l. l. p. 43. 1. Rohde l. l. p. 148 adn.

[2] Dido amore flagrans ab omni solita occupatione expedita est (Aen. IV, 86 sq.), furens tota urbe vagatur (v. 68 sq.), furentem delubra nihil iuvant (v. 56 sq. 65 sq.; cf. Sen. Phaed. 105), iam amatum iuvenem blando alloquio prosequi incipit, sed vox deficit (v. 76). — Quorum nonnulla Phaedram in memoriam revocant. Alia, ut vultus, corporis forma, vox amati viri puellae infixa haerens (v. 4. 83), apud Apollonium Rhodium (Arg. III, 453 sq.) reperiuntur; a cuius tertio libro, in quo amantem Medeam cantat, totum hunc quartum Aeneidos librum descriptum esse Servius (Verg. Aen. IV, 1) subabsurde affirmat.

[3] Pictura Pompeiana Helb. no. 253 unicuique in mentem veniet, in cuius interpretatione viri docti magnopere sudaverunt. Sed cum difficillima haec quaestio latiorem pro angustis meae disputationis finibus campum requirat, iudicium meum interim sistam.

[4] Cf. Callimach. hym. in Apoll. 49. Rhian. Schol. Eur. Alc. 1. Tibull. II, 3. 11 sq.; III, 4. 67 sq. Ov. Her V, 151 sq.; Met. II, 680 sq.; Art. Am. II, 239 sq.

tum esse (v. 306)? Picturae recordatio subest[1]; sed inter tot huius scaenae descriptiones, quanquam mira vectura cum navigii cursu interdum comparatur[2], unum Moschi locum nostro plane respondere video, ubi Europa mirabunda dicit Id. II, 143: χηλαὶ δέ τοί εἰσιν ἐρετμά. — Lunae exemplum ardentis in Endymione (v. 309 sq.), quae fratri nitidos currus aliter regendos dat, ut noctes suum tempus ne teneant, e recondita doctrina haustum esse videtur, cuius vellem testimonium proferre posse. Artis repraesentationes quaerentem destituent[3]. — Quae omnia pro Senecae aetate et ingenio exquisitioris doctrinae sunt.

Denique postquam exposui, quantum Euripideae Hippolyti fabulae apud scriptores eroticos valuerint, in universum ratiocinantes ne neglegamus, quam conveniens et opportuna ipsa fabulae natura Alexandrinis fuerit; cum saepissime illi iuvenum vel puellarum fata illustranda sibi proponerent, qui Venerem atrocius aspernati castae simul Dianae se addicerent (cf. Dilthey l. l. p. 43. 1)[4]. Itaque, si aliquid, illud mirarer, si ipsius Hippolyti malam fortunam nunquam carmine celebrassent[5].

---

[1] Cf. Helb. l. l. p. 225. Jahn Europa (Denkschrift. d. hist. phil. Classe d. Wien. Akad. Vol. XIX)p. 14 sq.

[2] Cf. Achill. Tat. I, 1. Nonn. Dionys. I, 65 sq. Mosch. Id. II, 130.

[3] Descriptionem Herculis servitio apud Omphalen effeminati, quam sequentes versus exhibent, miro modo cum pictura Pompeiana Helb. no. 1140 congruere Jahn dudum animadvertit (Bericht. d. sächs. Ges. d. Wiss. 1855 p. 222 sq.; cf. Helbig l. l. p. 113). Quanquam trita haec res Romae erat.

[4] Habrocomes iuvenis litteris tinctus eruditusque optimis artibus, venandi praeterea studiosus, Amorem spernit et despicit (Xenoph. Ephes. I, 1): εἰ δέ που ἱερὸν ἢ ἄγαλμα Ἔρωτος εἶδε, κατεγέλα. Sic Euripidis Hippolytus Veneris statuam venerari recusat v. 88 sq.

[5] Hic adnotare conveniat, ne imperfecta relinquatur disputatio, Lucianum in Ocypo Euripidis Hippolytum Venerem aversantem et Phaedram morbum occultantem ad ridiculum argumentum libere detorquere. — Primi prologi versus, in quibus podagra dea de ingenti sua apud homines potestate praefatur, prorsus effecti ex Euripideis v. 1 sq. Dea deinde convicio denotat Ocypum sui irrisorem v. 24 sq., ut Venus Hippolytum simillimis versibus 10 et 13. Prologorum clausulae item congruunt (Luc. 33 sq. Eur. 51 sq.). — Ocypus paedagogum morbum

Enisis autem nobis in hunc verticem et circumspectantibus admirabilis videri debet vis, quam unius viri praepotens ingenium in animos habuerit, et auctoritas eius raptim ac tamen convenienter ab aliis in alios tradita, donec congruens stilus evaderet. — Atque haec est solita antiquae artis propagatio; quocirca ii a veritate longe absunt, qui in stili consensu ad naturam vitaeve consuetudinem semper recurrant, ex qua similitudo profluxerit. Unum excelsum praecellensque ingenium vestigia temporibus suis ita imprimit, ut etiam in sequentem aetatem durent. Eius autem intellegentes artifices sectam semper sequentur, qui artificia quasi subauscultando ab ipsa natura accepisse videbitur[1]; qua ratione stilus naturae conveniens nascitur. Fortunata ea tempora, quibus artifices alienam auctoritatem venerati non dubitarent, quod quisque optimum fecisset, suum facere. Hoc certe nostrae aetatis non est; erat Graecorum.

---

celat (cf. v. 63 sq.), nutricem Phaedra (cf. v. 271 sq. 301 sq.). Ille etiam coram medico simulare pergit (cf. v. 123 sq.); quo loco (v. 125. 134) Lucianus imitatur Euripidem (v. 345. 347). Denique in hypothesi Ocypus dicitur *κάλλει καὶ δυνάμει διαφέρων*; at Hippolytum genuit Amazon *κάλλει τε καὶ σωφροσύνῃ διαφέροντα* (Arg. Eur. Hip.).

[1] Schiller:

Gutes aus Gutem, das kann jedweder Verständige bilden;
aber der Genius ruft Gutes aus Schlechtem hervor.
An Gebildetem nur darfst du, Nachahmer, dich üben;
selbst Gebildetes ist Stoff nur dem bildenden Geist.

Auctor de vita sua.

Natus sum Augustus Dethard Kalkmann Hamburgi a. h. s. LIII mensis Martii die XXIV patre Hermanno Dethardo matre Iohanna e gente Tappenbeck. Fidei addictus sum evangelicae. — Litterarum primordiis in ludo Nirnheimii imbutus per duos annos mercaturam haud libenti animo didici. Aliud deinde studiorum genus amplexus et Reinstorffii viri optime de me meriti egregia disciplina praeparatus gymnasium Iohanneum Hamburgense, cui Classen praeceptor incomparabilis faustus alienorum ingeniorum formator tunc praeerat, per duos annos frequentavi. Stipendia sub Tello de Wilamowitz-Moellendorff viro forti equitum praefecto meritus autumno anni LXXIV almam Bonnensem litterarum sedem adii, ubi per septem semenstria studiis operam dedi. Deinde per sex menses universitatis Monacensis civis fui et per bis sex Berolinensis. Inde longum tempus valetudo incommoda studia mea fraudavit. — Docuerunt me viri clarissimi I. Bernays, Brunn, Buecheler, E. Curtius, Iusti, R. Kekulé, Leo, I. B. Meyer, Mommsen, de Mosengeil, Neuhaeuser, Riehl, Robert, Usener. — Buecheleri et Useneri benevolentia receptus sum in seminarium regium philologicum Bonnense, cuius per quattuor semenstria fui sodalis ordinarius. Exercitationibus interfui archaeologicis Brunnii, Kekuléi, Roberti; epigraphicis Buecheleri. — Quos praeceptores omnes grata semper colam memoria. Viris vero singularibus Buechelero Kekuléo Usenero tam insigni erga me voluntate me non indignum fuisse velim aliquando demonstrare posse.

Sententiae controversae.

I.

Euripides Hip. 1425 sq. scripsit:

κόραι γὰρ ἄζυγες γάμων πάρος
κόμας κεροῦνταί σοι, δι᾽ αἰῶνος μακροῦ
πένθη μέγιστα δακρύων ἀκουμεναι.

Codd. B: καρπουμένα; reliqui: καρπούμεναι.
Valckenaer: καρπουμένῳ.

II.

Cicero de div. I. 31, 65: ʻSagire enim sentire acute est: ex quo sagae anus, quia multa scire volunt, et sagaces dicti canesʼ; verba ʻquia multa scire voluntʼ delenda.

III.

Cicero de div. II. 52, 108 scripsit: ʻSiʼ inquit (sc. Cratippus) ʻaliquando oculi peccent, tamen, quia recte aliquando viderint, inest in iis vis vera videndiʼ. Codd. vis videndi.

IV.

Caelii epistula (Cic. ad Fam. VIII, 8) conflata ex duabus epistulis § 1—4 et § 9—10. Senatus consultum auctoritatesque § 5—8 postea insertae. Altera epistula § 9—10, quae prior scripta est, mutilata; eius initium, quo Caelius de Tullia et Dolabella narraverat (cf. Cael. epist. l. l. 6, 2), de industria omissum.

V.

Catullum in Ariadnae fabula illustranda c. LXIV ad Callimachum se applicuisse falso contendunt.

VI.

Propertii distichon II, 6. 41:

Nos uxor nunquam, nunquam diducet amica:
semper amica mihi, semper et uxor eris

in fine sequentis elegiae ponendum.

VII.

Crinagoras Anth. Pal. VI, 345. 6 scripsit:

καλλίστης στρεφθῆναι ἐπὶ κροτάφοισι γυναικὸς
λώϊον ἢ μίμνειν ἠρινὸν ἥέλιον.

Codd. *στεφθῆναι.*

VIII.

Seneca in describenda peste Oedip. 37 sq. 180 sq. praeter Lucretium VI, 1137 sq. Thucydidem II, 49 sq. adhibuit; Lucretium Ovidius Met. VII, 525 sq.

IX.

Ovidio Art. Amat. II, 613 sq.:

Ipsa Venus pubem, quotiens velamina ponit,
protegitur laeva semireducta manu

Praxitelis Venus Cnidia obversata est.

X.

Amazon porrectis manibus supina iacens, quam Phidias in laeva parte clipei Minervae caelavit, recognoscitur in Amazone iacente vasis Monacensis No. 370 J. (Overb. her. Gall. XVII, 3).

XI.

Doryphorus Dresdensis (August. T. 88) revocandus ad exemplar Polycleteum in Attica officina immutatum.

XII.

Assteae vasa Paesti fabricata sunt.

XIII.

Pausanias II, 11. 8 quas statuas Titanae *ἐν τοῖς ἀετοῖς* templi Aesculapii positas fuisse dicit, re vera acroteria fuerunt. Simili errore V, 10. 8 Paeonium et Alcamenem pro artificibus statuarum in fastigiis templi Jovis Olympiaci positarum accepit.

XIV.

Ex Aristotelis libro *περὶ ποιητικῆς* apparet pingendi artem illo tempore vehementius quam plasticen animos movisse.

XV.

Studium antiquae et recentioris artis non licet seiungere.

Bonnae typis Caroli Georgi typogr. acad.

Bonnae typis Caroli Georgi typogr. acad.

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

PA 3973 H72K3
Kalkmann, August
De Hippolytis Euripideis quaestiones novae